

TONVM


LXXV.



Sammlung K

+  
Haus





Q. D. B. V.

DE

# LOGOMACHII IN IVRE,



Von Juristischen Wortstreit

PRAESIDE  
**IO. HENRICO BERGERO,**  
POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET ELECTORIS  
SAXONICI IN SVMMO PROVOCATIONVM IVDICIO,  
QVOD DRESDAE EST, CONSILIARIO, ET PRIMO  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI  
IVRISCONSVLTO,


SOLENNITER  
PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS  
D. XX. IAN. MDCCVIL

DISPVTABIT

**AVGVSTINVS LEYSERVVS,**  
VITEMBERGENSIS.

---

VITEMBERGAE,  
RECUSA IN OFFICINA HAKIANA. (9)



## SVMMA CAPITA

**N**imius disputandi amor hos habet effectus:

- 1 (a) Veritas per illum amittitur.
- 2 (b) materia, quæ stylo contentioso scribuntur, obscuræ reduntur, ut doctrina de Iurisdictione
- 3 (c) nimii disputatores se ipsos non bene explicant & defensunt, ut Bachovius.
- 4 (d) Viri illustres ab obscuris hominibus laeessuntur. 5 exemplo Cujacii.
- 6 (e) multi sibi adversarios & dubia singunt.
- 7 (f) alii in auctore, quem refutant, omnia, etiam vera oppugnant
- 8 (g) Logomachiae excitantur. 9 Logomachiæ juridice in quatuor c'asses dividuntur.
- 10 I. In prima sunt illi, qui, ipsis relict's controversiis, se convitiis oppugnant. II In refutatione aliorum media via inter maledicentiam & frigidam modestiam est servanda.
- 11 Hotomananus & Goveanus, moderati disputatores.
- 12 Exempla contumeliosorum certaminum inter antiquos ICtos.
- 13 Alia recentiora, Menagii 15 Pufendorfi.
- 14 Huberi.
- 15 Huc pertinent satyri in Iustinianum, quorum primus auctor Valla, 16 cujus audaciam improbarunt eo tempore ICtū, 17 postea ipsi imitati sunt. 18 Difficilis in hac disputacione est decisio, 19 ne Iustiniano nimium blandiamur. 20 Medium ergo est tenendum.
- 21 Injuriosa advocatorum disputationes.
- 22 II. Secunda classis complectitur de minutis disputatiunculas, 23 in foris frequentissimas, 24 nec non in scholis, maxime antiquorum ICtorum, 25 sed & hodiernorum. 26 Huc pertinent nimiae subtilitates.

- (a) in legibus damnatis explicandis,  
 29 (b) in legibus aperte contrariis conciliandis,  
 30 (c) in casibus non contingentibus excogitandis,  
 31 (d) in otiosis distinctionibus faciendis,  
 32 (e) in rationibus omnium constitutionum singularium  
 investigandis. 33 Noodtius notatur.  
 34 (f) in intricatis quæstionibus proponendis, quod olim  
 philosophis familiare, 35 postea ad ICTos translatum.  
 36 Quales fuerint olim hujusmodi quæstiones. 37  
 Descriptio talis examinis.  
 38 (g) in antiquitatibus eruendis, 39 quarum studium tamen  
 non debet contemni 40 sed neque etiam nimis super-  
 stitiose excoli. 41 Reprehenduntur, qui omnes leges,  
 obsoletas etiam, ad fora & processus hodiernos accom-  
 modant. 42 Interdicta Iustiniani tempore jam erant  
 abrogata. 43 Iurisdictio vetus cum hodierna non de-  
 bet confundi. 44 Ius Romanum inepte ad jus publi-  
 cum Germanicum transfertur.
- 45 III. Tertia classis continet disputationes super verba, quæ ali-  
 quando sunt necessariae, 46 ut in interpretatione legis  
 divinae de matrimonio comprivignorum. 47 Hoc ma-  
 trimonium est prohibitum, 48 non obstantibus contrariis  
 argumentis. 49 In interpretatione legis civilis dispu-  
 tationes super verbis adeo sunt necessariae, 50 ut inter-  
 dum, si negligantur, logomachia oriatur. 51 Particulæ  
 etiam debent examinari. 52 Utilitas artis criticæ in ver-  
 borum corruptorum emendatione. 53 Arrogantia Critico-  
 rum 54 Pleraque eorum opera sunt logomachiae. 55 De ri-  
 gidis verborum Latinorum exauctoribus.  
 56 Sunt etiam disputationes super verba utilles in diplo-  
 matibus examinandis. 57 nec non in testamentis  
 58 Inutiles de verbis lites in foris. 59 Contentiones de ti-  
 tulis inter principes & in Comitiis Imperii.
- 60 IV. Ad quartam classem pertinent logomachiae, in quibus  
 nulla

nulla vera subest diffensio, sed tantum in verbis discrepantia. 61 Hae iterum sunt triplices

(a) Aut enim uterque disputator in culpa est, 62 ut in illa controversia, an bestiis competit jus naturae, 63 de qua vera Iustiniani Vlpianique sententia exponitur; 64 item in illa; an majestas sit immediate a Deo 65 nec non in hac: an majestas comperat Regi Romanorum. 66 Huc pertinent, qui non de re ipsa, sed de methodo ac definitionibus concertant. 67 Advocati, qui, omissis meritis causa, tempus dilatoriis exceptionibus consumunt 68 Prævaricatores.

69 (b) Aut ille, contra quem disputatur, obscurius loquendo occasionem litigandi dedit. 70 quod faciunt ii, qui jus Romanum in provincia sua non receptum, plane abrogatum dicunt, 71 ut & illi, qui, ICtos eruditos esse, negant, 72 cum isti peculiarem suum de eruditione conceptum non bene explicitent. 73 qui nova & ad primum adspexitum paradoxa proponunt.

74 (c) Aut illi, qui contradicunt, sententiam adversarii non percipiunt 75 ut isti Theologi, qui aliquas ICtorum doctrinas tanquam impias condemnant 76 ICti, qui a recepta opinione de quinque speciebus juris in re discedunt. 77 Huc pertinent, qui saltem ex odio erga expressionem aliquam contradicunt. 78 ut opugnatores formæ monstroæ & irregularis in rep. Germanica.

### 79 Conclusio.

#### I.

**E**X quo pessimus in orbe literato mos invaluit, ut ille demum pro docto haberetur, non, qui suam sententiam perspicue atque sine ambagiis proponeret & explicaret, sed, qui aliorum opiniones argute oppugnaret, & excognitatis

tis ab aliis subtilitatibus subtiliter responderet; ex vera & solida eruditione ostendatio quædam scientiæ facta est. Namque hi, qui disputant, non veritatem, sed victoriam, &, quam in illa positam esse credunt, gloriam aucupantur. Igitur veritas altercando amittitur. Quippe arguta verborum cavillatio & captiosæ disputationes irritum saltem acumen exercent, neque ullum aliud præstant emolumentum. Qui eas audiunt, tantum abest, ut lucem inde accipient, ut potius majoribus tenebris involvantur & cum illo apud Terentium dicere possint: *Fecisti probe: incertior sum muleum, quam dudum;* aut cum *Famiano Strada Prolus. 2. libro 2: Malam crucem importunæ isti eloquentiæ, quæ me securum animi compossumque in alteram partem jam suspensum & uiroque trahentem male perdidit.* Quasi in foro disceptaretis apud judicem, adeo me contorro pugnacique isto genere dicendi exanimasti.

II. Nullum unquam juris argumentum majore contentione & studio fuit petrastatum, quam jurisditionis materia. Summi cujusque temporis ICTi id sibi negotii datum crediderunt, ut eam evolverent bene & scriptis illustarent. Itaque Bartolus, Baldus, Jason, Goveanus, Baro, Zasius, Maranta, & quos hic omnes nominare non possum, copiose & diligenter a illam sunt commentati. Singuli, quas potuerunt undique, difficilissimas & obscurissimas quæstiones collegerunt, deciderunt & aliorum opiniones egregie refutarunt. Accidit tamen omnibus, quod Eguinario Baroni, viro alias præstanti ingenio excelleutique doctrina, contigisse, *Andr. Schottus in Bibliotheca Hispanica scribit, qui omnem de jurisditione questionem difficilem ac reconditam, dissensionibus etiam auctam adeo obscure & perplexe tractavit,*

vit, ut studio tenebris rem implicasse, ac minime dilucide  
traelasse videretur, quo saltem obscuritas vel imperitos in  
admirationem raperet, vel doctos & ingeniosos a repreben-  
dendo deterreret. Post tot itaque Commentatores, ni-  
hilominus hæc doctrina, ut Schilterus ait, valde difficilis,  
intricata, incerta & obscura manxit, donec Sutholtus pri-  
mum, separatis, quæ inutiles videbantur, controversiis,  
rem omnem breviter, at delucide exposuit. Cujus post-  
ea vestigia secutus Obrechius pro ea, qua in scribendo  
polluit, perspicuitate, quæ restiterunt adhuc, tenebras  
fugavit. Alia exempla de interdictorum & pactorum  
materiis jam afferre, supersedemus.

III. De summo inter nostros disputatore, Reinhar-  
do Bachovio, quem Vinnius subtilissimum ICtum, non  
tam sua sententiae adstructorem, quam destructorem  
alienæ, & Schurzius inexorabilem censorem vocant,  
non possum, quin Bailii in *Dictionarii Critico* judicium  
elegans, ut solet, & accuratum, ex Gallico sermone  
translatum, afferam: *Laus*, inquit, quam Vinnius Bacho-  
vio tribuit, plurimis admodum hominibus convenit. Nimi-  
um videmus numerum scriptorum subtilium & in judicando  
audacissimorum, qui sua doctrina male adstruta, aliorum  
tamen sententiam funditus evertunt. Sed communiter ho-  
mines, quando disputant, forius adversarium impugnant,  
quam se ipsos defendunt. Igitur tam necessaria non est  
ars bene disputandi in ICto, ut non possit, salva eius  
præstantia, abesse. Si adfuerit, majorem quidem lau-  
dem consequetur, modo illam modeste adhibeat. Si  
non adfuerit, idem de hujusmodi ICto, quod Cicero de  
philosopho facundiam non possidente, judicium feram:  
*Philosophum, si affera eloquentiam, non asperner: si non ha-  
beat, non admodum flagitem.*

IV. In-

IV. Incredibile est, quam malos effe<sup>ctus</sup> illud  
disputandi caccethes post se trahat. Ut enim huma-  
num ingenium proclive est ad ambitionem, quoniam  
disputationes cum viris illustribus magnam laudem  
conjunctionem habere videntur, ita multi famam, quam  
virtute nequeunt, celebritate adversarii sibi conciliare  
student. Conspicias ergo adolescentulos, vixdum scho-  
lam egressos, aut doctores umbraticos aggredi viros,  
qui in luce versantur, & tantum eos lacestere, ut respon-  
sione saltem ab illis elicta nomen aliquod consequan-  
tur. Non affliguntur magnopere, quantumvis indi-  
gnis modis accepti; sed honorem sibi etiam reputant,  
false & acute refutari, modo a claris adversariis id fiat.

*Magna ferunt tacitas solatia mortis ad umbras,  
A tanto cecidisse viro.*

V. Fuit hoc fatum Cujacii, summi viri, &, qui  
facile inter solidioris Iurisprudentiae assertores famili-  
am dicit, ut impares sibi semper contradictores, & vi-  
lia tantum capita, scuticaque, ut ipse scribit, digna nan-  
cisceretur. Cum inclarescere primum inciperet, cum  
Stephano Forcatulo, homine insulso, & ad docendum minus  
idoneo, contendere debuit. Cujus subtilitatibus & captio-  
nis disputationibus cum pari argutia non responderet,  
professionem juris, quam in Tholosana academia am-  
biebat, adversario cedere necessum habuit. Sed nec  
apud Bituriges, ad quos concesserat, docenti deerant  
obtrectatores & æmuli, qui partem ejus gloriae suis  
contra illum scriptis auferre contendebant. Neque ta-  
men inter tot hostes illum habuit, qui ad eruditionis  
fastigium, quod ipse tenebat, adspiraret, præter Hoto-  
mannum & fortassis Duarenum. Reliqui ignobiles, &  
ex solo hoc cum Cujacio bello cogniti, Ioannes Rober-  
tus,

tus, quem *Cuiacius* sero in orbe natum appellat, & quem ipse sub *Antonii Mercatoris* nomine singulari libro refutat; Franc. Marsius Gordonius, & Io. Steckius, cuius impudentiam *Iac. Gotfredus* libro *Animadversionum* reprimit, & majorem homini reverentiam erga tantum virum mirifice commendat. Hi & multi præterea alii, quos recensere piget, nomina sua a tenebris non vindicassent, nisi ad morem Herostrati, Dianaë templum ad famam adipiscendam concremantis, inclaruerint, digni profecto, quorum bustis idem epithaphium, quod Phætoni ab *Ovidio*, inscribatur:

*Hic seruus est Phæton, curvus auriga paterni,  
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.*

VI. Hoc etiam inconveniens est, quod ex præpostero illo disputandi amore proficiscitur, ut magni saepe viri, cum veri adversarii desunt, aliquos sibi fingant, quo habeant, quos refutent. Multos igitur videoas scriptores, qui, cum plane & perspicue, quod sentiunt, proferre possint, malunt pugnaciam quo & contorto scribendi genere uti? & ipse dubia difficillima excogitant, aut aliis auditoribus opiniones affingunt, suis contrarias, in quibus postea refellendis desudent. Hos ego semper cum priscis Romanorum athletis comparo, qui, ut luctando se exercent, palum terræ infigebant, cum eo pugnatui. Quorum uni Cato interroganti, *ut ipse pugnare visus esset; Bene, hic respondit, quamdiu adversarius ligneus est.*

VII. His ferme affines sunt illi, qui, dum contra alios scribunt, & veros eorum errores refellunt, sive exodo adversariorum, sive, ut majorem scribendi copiam habeant, omnia, quae illi etiam recte dixerunt, falsitatis arguunt, & impugnat. Inexorabilis censor noster *Bachovi*

vius, in suis ad Treutlerum commentariis, inexcusabiles practici hujus errores egregie ostendit. Sed isto contradicendi amore sic abripitur, ut ferme, quidquid postea Treutlerus sive bene, sive male afferat, hic sibi confutandum sumat; non, quod eum in his omnibus vere a Treutlero dissentire existimem, sed, ut latiorem sibi aperiret pugnandi & scribendi campum. Idem contigit *Hotomanno in Antirribonianio*, ubi leges Romanos interpolatas, impertinentes, iniquas, neque ad Galliae statum accommodatus ostendit. Qua in re etsi non semper fallatur; ut tamen inventu tem a lectione earum tanquam tædiosa & inutili plane absterreat, nimis generaliter eas rejicit, & tantum non semper illis Galorum jura & consuetudines tanquam meliora præfert. Idem *Grönemegii* peccatum est, dum catalogum legum irrationalium & in Belgio abrogatarum necit, ut multas illis annumeret, quæ ab *Hubero* & aliis optimo jure excusantur, & adhuc observari docentur. illi quoque sibi ab hoc errore caveant, qui apud nos comparationem prisci juris Germanici cum legibus Romanis instituunt, & has, etiamsi non sine ratione illi interdum contrariantur, semper tamen fundamento destitui, & prudentia sic usu fori inferiores esse, contendunt.

IX. Sæpe etiam, deficientibus veris & realibus, quæ agitantur, controversiis, inanes & verbales suscipiuntur: atque disputatio omnis in logomachiam degenerat. Frequentiores hodie hæ logomachiæ sunt, quam ut a quoipiam possint ignorari. Cum tamen interior earum natura non adeo perspecta ab omnibus sit, immortaliter de rep. literaria meritus est *Werenfelsius*, Theologus Basileensis, qui de logomachiis eruditorum scripsit. Quo libro quantopere famam, aliis e-  
gre-

gregiis scriptis, e. g. de *Iure in conscientias ab homine non usurpando*; jam comparatam auxerit, plausus, quibus liber ille exceptus fuit, & repetitæ subinde ejus editiones ostendunt. Tamen si vero, nihil melius & accuratius hoc in genere scribi potuisse, putemus, tamen, cum clarissimus auctor logomachias saltem Theologorum & Philosophorum examinet, nos autem bene noverimus, quam frequens hoc vitium etiam in jure sit, ex eo alias species & innumera exempla addi potuisse, existimamus. Quare constituimus, supplere illud, quod fere ab auctore omissum est, caput de logomachiis in jure. In cuius tractatione etsi par ingenium & doctrinam, quibus Werenfelsius usus est, polliceri nequeamus, gratulabimur tamen nobis, si aliquid saltem ad illustrandum & ornandum ejus librum posterimus afferre.

IX. Non laboramus multum in definienda logomachia. Majores nostros, Ictos veteres, imitabimur. Hi plerique ex Stoicorum familia egressi, Aristotelicam illam circa struendas definitiones subtilitatem logomachiam esse putarunt, &, salva etiam aliqui doctrine natura, ab ejus tractatione definitionem abesse posse, crediderunt. Veruntamen ea perspicuitate in enumerandis & explicandis logomachiis juridicis versabimur, ut ei, qui commentationes nostras legerit, nullum circa illarum naturam dubium superfuturum speremus. Si quis tamen rigidus antiqui moris exactior fuerit, ille laudatum a nobis *Werenfelsium* adeat, qui hac etiam in parte lectoribus suis satistecit. Cujus ceteroquin vestigia sic sequemur, ut nihil ab illo dictum repetamus, ne opus nostrum in nimiam molem excrescat. De reliquo ita tractabimus hanc do-

B 2

tri-

ctrinam, ut certas logomachorum classes constitua-  
mus & singulas ordine recenseamus. Et cum duplex  
sit disputationum in jure genus, fori ac scholæ, in una-  
quaque classe de ambabus seorsim loquemur.

X. Prima classis complectetur eos, qui, rebusipsis,  
de quibus disceptant, obiter tractatis, in personam ad-  
versarii stylum vertunt, atque se invicem convitiis pro-  
scindunt. Aurei fortassis seculi ista felicitas fuit, nobis  
fere prorsus incognita, quo bella inter eruditos sine odio  
gerebantur, & disputationes, non rixæ & altercatio-  
nes fovebantur. Hodie enim, ut plerique non veri-  
tatis amore, sed ambitione indueti scribunt; ita ferre  
non possunt, ut alii his, quæ ipsi sentiunt, contradic-  
cant. Aut igitur horum stuporem derident, qui rem  
suo judicio planam non percipiunt; aut malevolentiam  
accusant, quod sine ratione fidem scriptis & inventis  
suis detrectent. Quod sine aculeis & maledictis fieri  
vix potest; quibus alter, qui laceratum se & provoca-  
tum videt, ut non minus atroci stylo respondeat, 'cau-  
cas se abunde nactum esse, putat. Hinc igitur illud deni-  
tatum & tortuosum scribendi genus, hinc illa convi-  
tiorum & injuriarum plastra, quibus uterque adver-  
sarius sic omne chartæ spatium occupat, ut nihil fere  
ipsius cause tractationi relinquat.

XI. Difficile hic est, medium tenere viam, ne,  
dum nimis etiam modestiæ studes, in stuporem incidas.  
Absona sunt scripta, quæ nullo prorsus asper-  
guntur sale, & frigida illa ingenia magnarum rerum in-  
capacia censentur. Eleganter Cicero *l. i. de Finibus: Dis-  
serentium*, ait, *inter se reprehensiones non sunt vituperan-  
dæ: maledicta, consumelia, tum iracundia, contentiones  
concertationesque in disputando pertinaces indignæ mibi  
philo-*

philosophia videri solent. Neque enim disputari sine reprehensione; nec cum iracundia aut pertinacia recte disputari potest. Sunt aliqua, sed pauca, hujusmodi disputatorum exempla, qui modum inter frigidam illam modestiam, & furiosam maledicentiam servare didicerunt.

XII. Horomannus, si auctori vita ejus credimus, eo ingenio fuit, ut amice reprehendentes amaret, sed & acerba tanquam erranti insultantibus ac bilem moventibus, justi doloris aculeos ulturos ostenderet magis, quam infigeret, semper ut vitia, quam homines insectatus, & in rem potius, quam in personam, egisse videretur. Igitur, cum Balduinum, quem amicum antea habuerat, summum famae nominisque hostem experiretur, libellis ejus opposuit unicum de Officio pii ICti, ad injurias vero ipsius & offensiones tacuit. Idem Ant. Goveanus, ICtus Hispanus, quem aliqui etiam Cujacio præferunt, fecit; qui, cum Eguinarii Baronis libros de Iurisdictione confutaret, ejus viri præstanti ingenio excellentique doctrina se ipsum superari, fatebatur; & ab ipso non tam animo dissidere, quam judicio dissentire videri volebat.

XIII. Contra eorum numerus, qui commissi invicem, tanquam gladiatores ridiculosissima orbi literato spectacula exhibuerunt, major est, quam, ut totus hic possit notari. Afferemus tamen aliquos ex antiquis maxime, cum, recentiores excitare, invidiosum sit. Baldus cum Barolo, præceptore suo, sic acriter concertavit, sic unus alterius famam maledicis laceravit, ut, illum tandem viatum & pudore confusum patria cessisse, Iason auctor sit. Budæus, quem inter Iurisperitos bonarum, maxime Græcarum literarum notitia, æquarunt pauci, antecessit nemo, cum Erasmo, æmulo suo,

suo, ita contendit, ut arctissimam amicitiam in capitale odium, & laudes, quas mutuis sibi literis invicem tribuerant, in contumelias mutarent. Cujacio hoc ingenium erat, ut, cum ipse de alienis operibus libere judicium ferret, in libris tamen suis aliqua ab aliis reprehendi, haud æquo animo pateretur. Vstatæ illi hæ in respondendo phrasæ erant: *Sicut dignus, fultus, mendax, cæcus, caliginosus, os durum.* Quibus adeo offendit *Hotomannum*, adversarium suum, ut & hic suam aliquando mansuetudinem exueret, & maledictis, ut par erat, responderet. Intervenerunt his controversiis *Baldinus*, *Duarenus*, *Robertus*, *Forcatulus*, & alii, atque rixando id effecerunt, ut, quod *Timon philosophus apud Athenæum de musæo Alexandrino*, in quo viri eruditissimi ex toto orbe collecti alebantur, dixerat, ad Galliam eo tempore applicari potuisset; eam caveam esse, in qua aves maximi preti inclusæ saginarentur, pugnantes semper invicem & digladiantes.

XIV. Sed ad quosdam nostri seculi scriptores veniamus. *Aegidius Menagius*, quem *Ictum præstantissimum Strauchius* vocat, elegans, sed & mordax in scribendo fuit. Neminem facile extitisse, credo, qui indignus unquam adversarios tractarit. Nebulones appellavit subinde, ut alia atrociora taceam, quorum plena sunt ejus *Epigrammata*, *Amœnitates Juris* & *Menagiana*. In carmine ad *Muemosynen*:

*Da, Dea, inquit, da nobis, atrocia tot nebulonum,  
Immeritum qui me pergit vexare libellis,  
Didi obliisci, memori mibi condita mente.*

A *Mamurra*, Professore Græcarum literarum, aliquando offensus, non solum ipse scripto se vindicavit aculeatissimo, sed, ut omneum contra illum eruditorum exercitum  
edu-

educeret, classicum cecinuit egregius buccinator; ausus,  
iis etiam multam dictare, qui non venirent.

*Qui non scripsierit, inter eruditos  
Insuffissimus ambulet patronos.*

Et licet in literis, *Amenitatibus Iuris* præmissis, sic polliceatur: *Adversariorum ingratum animum, invidias, injurias, maledicta, dipteria, scommata, immotus, ut philosophum & Christianum decet, sanam præterfluere;* id tamen adeo non præsttit; ut in fine adhuc ejusdem epistolæ indignissime tractaret hominem, qui in libro contra ipsum scripto eum *Advocatum & Magistrum Aegidium* appellarat.

XV. Atrocia hæc sunt, fateor; sed si cum illis comparentur, quæ inter pufendorffium & adversarios ejus intercesserunt, levia videbuntur. Sic enim summus ille juris naturæ docttor, & hi, qui contra ipsum scripsierunt, in se invicem debacchati sunt, ut omnem convitiandi, objurgandi, maledicendi materiam exhausisse videandur. Omnia sibi scelera, quæ excogitari poterant, beneficia, adulteria, latrocinia, insidias vitæ structas objecerunt. *Moechos se, carnatos diabulos, sacerdos, Asinior Tenebriones, &c. vocarunt.* Nec ingeniosa omnia erat. Ex trivio & gynecaeo abjectissimas loquendi formulas petierunt, quibus suam uxorumque fuarum famam invicem laceſſerent. Non jam plura de lutulentis his & spurcis disputationibus dicam, cum, quæ in iis observari merebantur, accuratissime excerpserit Vir Consultissimus, *Ludovici in Historia juris naturæ*.

XVI. Magna profecto circumspetione opus est, ne incauti in inhonoratus illas dimicationes incidamus. Quod modestissimis interdum disputationibus contingit, ut, dum initio moderate fatis disceptare coeperunt,

con-

continuatis & repetitis saepius scriptis ita animos exauant, & omnem solidam pugnandi materiam absument, ut ad cavillationes deinde illis sit confugiendum. *Vlricus Huberus*, decus omnium, qui sunt, fuerunt & erunt apud Batavos, ICtorum, satis manvetudinem suam in responcionibus ad scholia ab Excellentissimo *Thomaston ejus Positiones* scripta probavit. Contra alios tamen aestuse & diuturnitate certaminis auferri passus est. Non jam dicam delite, quam ut philosophus magis cum *Dukero* & *Rælio* exercuit, contra quos, Scripturæ Sacræ auctoritatem ex ratione adstrui non debere, afferuit. Quæ controversia placidissime primum tractat in columnias demum & injurias erupit, quibus maxime ultima *Huberi responso* quam stricturas vocat, scatet. Magis ad nos pertinet quæstio de significatione vocis *prætorii*, quæ ipsum cum *Perizonio*, viro eloquentissimo & historiarum antiquitatumque peritissimo, commisit. *Huberus prætorium* partem palatii, in qua auditorium Cæsaris ejusque præfecti erat, interpretabatur. *Perizonius* contra, nullum hujusmodi auditorium unquam fuisse, afferebat, sed prætorium de ipsa cohorte prætoriana & statione ejus explicabat. Primus *Perizonius dissertationem de Origine, significacione & usu vocum, prætoris & prætorii* edidit; cui *Huberus*, sed moderate, in secunda *Prælectionum* editione ad tit. de *Off. Præf. prat.* respondit. Secuta sunt *Perizonii Dissertatione philologica & Huberi tractatus de prætorie, acerbiora paululum*. Aciores multo erant *perizoniicum Hubero disquisitio de prætorio, & Huberi Summa & Censura* hujus libri. Quam iniquiorem in se non tulit *Perizonius*, sed, præter *Abstensionem Censure Huberianæ*, scripsit *Specimen errorum supra centum & viginti ab Hubro in primo*

mo tomo Historiae civilis commissorum, cum præmissa præfatione apologetica, dedicationi istius tomi reposita, subjectis responsonibus & animadversionibus in ejusdem Huberi disputationes eunomicas. Qua injuria inflammatus Huberus de Calumnia centum & viginti errorum Perizonii publice conquestus est. Sed vindicavit hos errores Perizonius a cavillationibus & clamoribus, ut scribit, Huberi; atque novos aliquos demonstravit. Cui tandem concertationi mors Huberi intercessit, atque infensissimum hoc par divisit.

XVII. Non inique ad hanc longomachorum classem magnam illorum turbam retuleris, qui, dum errores, quibus jus civile Romanum refertum sit, ostendere conantur, maximam chartæ partem convitiis in Tri-bonianum & Iustinianum jactis complent, atque satyros potius in hos componunt. Primus hoc ausus est Laurentius Valla, ipse quidem non Ictus, sed, qui tamen, aliquid juris se intelligere, diceret. De quo id mirum videri non debet, si verum est, quod de ipso Iovianus Pontanus de sermone l. i. scribit: *Qui cum laurentio familiarius vixerunt, affirmant, illum eo nequaquam consilio in Grammaticis scripsisse ac dialecticis, quo doceret, disciplinas, que ab ignorantie vindicaret, atque a sorde, verum ut male-diceret, obloquendoque detraheret de fama arique auctoritate rerum scriptoribus; tum illis, qui exemplo sunt ad scribendum aliis propter antiquitatem majestatemque dicendi, ac præcipiendi, tum illis ipsis, qui tunc viverent: qui ne dubitaverit ipse quidem dicere, profiterique palam, habere se quoque in Christum spicula. Et alibi: Ciceronem vellicabat, Aristotelem carpebat, Virgilio subsannabat, maximis quibusque ringebat auctoribus, uni tantum Epicuro assurgebat, non, quod vere ejus præcepta probaret, sed quia, ea ab omnibus aliis*

C

impro-

improbari, videbat. Vir hic ad bella & convitia natus non tulit summam, in qua tunc erat jus civile, auctoritatem. Igitur in eo quæsivit, quæ reprehenderet. Et inventum etiam, sed stylo adeo spurco, adeo in Iustinianum & ICtos injurioso exposuit, ut, quisquis *Elegantias ejus* legerit, non possit non impurissimi homines impudentiae subirafci.

XIX. Ea adhuc illo tempore fuit apud ICtos Iustiniani veneratio, ut nemo auderet probare Vallæ injurias, nedum illius partibus accedere. *Alciatus* quoque, qui primus iterum aditum ad solidiorem & elegantiorum Iurisprudentiam patefecit, ipse contra Vallam scripsit, & dignitatem auctorum juris ex ejus fauibus eripere conatus est. Scilicet, si quid audiebant adhuc eo tempore juris reformatores, id in *Accursium* potius & *Glossam* ejus erat. Hoc illi *Doctorum idolum*, atque *Deorum istorum Iovem*, ut vocabant, de illo, quod indignus occupaverat, fastigio perturbare volebant. Contra illos scribebant, qui *juris magis Accursiani*, quam *civilis* & *Romani consulti* erant. Iustinianus ipse cum legibus sacrosanctus manebat. Cujus etiam reverentiae vestigia in *Cajacio* adhuc observabili. Sed confidentiores postea facti sunt. *Budæus* primus, quod novi, etsi damnet eorum hominum convitia, qui *juris civilis majestatum immunituere* lèdereque non vereantur, excusat tamen nonnunquam Vallæ censuras, atque, dormitasse Tribonianum in quibusdam locis Pandectarum consarcinandis, timidius affteriat.

XIX. Sed hac deinde verecundia opus non fuit, postquam *Hotomannus Tribonianismum* reliquit. Qui liber quam pene omnem juri civili auctoritatem, Iustiniano prudentiam, Triboniano fidem, priscis ICtis honorem

norem abroget, nisi, qui ipsum legerit, nemo a tanto  
ICto credat. Successerunt *Baldinus, Contius, Matthæus,*  
*Faber, Vissembæchius, Bachovius & alii*, qui, velut qua-  
dam cōspiratione facta, consurrexerunt, & Iustiniano  
reliquisque juris compilatoribus ignorantiam, impru-  
dentiam & socordiam objecerunt. Quos non parum in  
instituto suo confirmavit *Alemannus*, editis anno 1624.  
*Procopii*, scriptoris ejusdem cum Iustiniano seculi, *Anec-  
dotis*, quibus atrocissima quæque in Iustinianum, uxo-  
rem & ministros ejus congregebantur. Refixit qui-  
dem postea aliquantulum hoc maledicendi studium, ut  
inde magis recalesceret. Et recaluit certe, adeo, ut  
pro ingenioso fere non habeatur hodie, qui non novos  
defectus & errores in juri civili detegat, eosque Iusti-  
niano cum insultatione exprobret.

XX. Sed difficile tamen est & anceps cum his Iu-  
stiniani obrectatoribus certamen. Quocunque te ver-  
tas, ab utraque parte periculum & præcipicum vi-  
deas. Si perfecta omnia, si accurata, si methodum  
exquisitam, nihil contrarium, nihil inutile in jure civili  
statuamus, non immerito nobis objiciat *Ant. Matthæus*  
*Dis. 4. fund. jur. n. 81. An sic nobis blandiri decet, ac si pec-  
care aliorum sit, ICtorum nequaquam? Itane artem nostram  
supra alias efferre licet, ac si nihil vitii contineat? An Deos  
efficies, qui errare nesciverint, quos Deus homines nasci vo-  
luit? An vis ita: Omnis homo mendax, præter ICtos?  
Contra, si, depositis armis, nostri deditioñem facia-  
mus, si voluntarie jugum subeamus, si fateamur, ma-  
gnam fuisse Iustiniani in componendis juris libris osci-  
tantiam, si ordinem insalsum, rationes frivolas, con-  
fusa omnia admittamus; tum vero*

transitorib[us] i[n]d[ic]at[ur] i[n] p[ar]t[ic]ulariis  
sup

C 2

Tur-

Turpe quidem contendere erat, sed cedere vixum  
Turpius.

Amittemus omnem, quam conservavit huc usque ordo noster, dignitatem, & artem indignam nobis videbimus profiteri.

XXI. Media igitur tenenda via est inter malevolam obtrestationem & superstitionis adulationem. Cujus labem non effugient Eichelius in defensione Iustiniani contra Procopium, & Vdalricus Zasius. Qui ridicule satis, ut mihi videtur, si quæ deprehendatur in legibus nostris contrarietas, aut obscuritas, aliasve inexcusabilis defectus, consulte ea & ex summa prudenter fuisse posita, autumant. Verba Zasii in Epistola ad Claudium Cantiunculam hæc sunt: Super antinomiis vel ligum repugnantibus non nego, complura in legibus offendiri posse, quæ pugnantia primis oculis appareant; si tamen introspexeris, si spicam excussaris, si ad medullam manus admoniliaris, propemodum omnia tibi consonantia, concordia & junctissime amica esse comprobabuntur. Nec crediderim, obiter aut ex incuria, sed abzissimo consilio legalia scita, quæ inter se ali quando variarent, collecta fuisse. Providerant enim viri prudentissimi, complures venturos esse rabulas, qui, cum idiotæ, tum imperiti essent, legum tamen sinceritatem foedare, profanare, vernaculis involvare verbis aggredentur. Hoc ne vel fieret, vel fieri posset, sub verborum ali quando involucro indeterminatas decisiones, quæ tamen alio loco determinarentur, legalis philosophia eminentiam absconderunt, quæ non nisi a viris doctis, a juris interpretibus, ab iis, qui multa arte legales doctrinas versassent, aperirentur. Ut dicam, quod sentio. Hæc Zasii defensio comparanda mihi videtur cum conatu quorundam Græculorum, qui, ut absurdas Ovidii Homerique

que fabellas a contemptu, quem merebantur, vindicarent; summa Theologiae, sapientiae & medicinæ mysteria, artem inveniendi lapidem Philosophicum aliaque innumera in illis contineri & a furore imperitorum abscondi, divulgabant.

XXII. Sed dicendum est, quod ipse fatetur Imp. in L. 3. s. 13. C. de V. I. E. In nullo aberrare, seu, in omnibus irreprehensibilem & inementabilem esse, divinæ utique solius, non autem mortalis est constantia. Admittamus igitur falsa quædam, admittamus contraria, sed pauca, neque aliter, quam, si excusari nullo pacto possint; fateamur cum Hubero, ordinem non quidem optimum, at tolerabilem esse. Statuamus cum Ant. Contio: Libros nostros Iustinianeos ideo religiose colendos esse, quando nihil bodie melius habeamus, ad cuius exemplar nostras resp. instituamus. Si quæ tamen in illis aperte mala & immedicabilia videamus, neque ad illam, quam vocat Budæus, ariolatricem & desultoriam Accursii interpretationem confugiamus; neque etiam durius illa iniqua, indecora, absurdâ, corrupta &c. appellemus. Quanto rectius decet, monitis Fabroti locum relinquere, qui in replicatione adversus Salmasium eum horatur, ut in arguendis, si quas velit, opinionibus utatur verbis, quæ juris auctoribus ad modestiam compositis sunt familiaria; veluti, difficile est, mirum, novum, verius, non placet, non probo, verius arbitrator, contrarium dicerem, contra sentio &c.

XXIII. Vidimus, quam sit frequens hoc logomachia genus in scholæ disputationibus. Neque tamen in disceptationibus fori id incognitum deprehendemus. Multi enim sunt advocati, male aut parum in jure versati, qui, ut est in tragediis, clamore rabiosa fori jurgia ven-

vendunt improbi, iras & verba locant; sive, ut Ammianus ait, cum ad inopiam veniunt allegationum, ad effrenatam defletunt convitiandi licentiam. Horum olim penam infamiam fuisse, ex L.6. s. i. C. de Postulando videmus. De jure Camerali pena judicium arbitrio relinquitur. Ord. Cam. P.1. tit.53. Iure Saxonico distinguitur; Nam si advo-  
catus in collitigantem partem & ejus procuratorem  
injurius fuerit, Carprovio P.1. C.1. d.19. teste, mulcta duarum novarum sexagenarum dicitur. Qui autem  
ipsum judicem infestare sustinuerint, hi praeterquam,  
quod limine judicii interdicantur, mulcta etiam gravio-  
re, vinculis & exilio compescuntur.

XXIV. Pergo ad alteram logomachiarum clas-  
sem, quæ futilis de rebus minimis & levibus disputati-  
unculas continet. Quibus cum nullæ magis, quam fo-  
ri disceptiones subjaceant, ab illis hic initium facie-  
mus. Sic de iis conqueritur Duarenus in epistola ad Se-  
bast. Albasp. In Basilica Parisiensi ad tres annos libenter ver-  
satus sum; tametsi (ut verum fatear) immodicos ac prope in-  
explicabiles litium anfractus, quibus illud forum præ ceteris  
abundat magis, quam lites ipsas ad judicia, quibus huma-  
num genus carere non posse videtur, perinvitus nec absque  
ingenii fastidio illic viderim. Vix enim credibile est, quanta  
ibi hominum eorumque gravissimorum & letissimorum multi-  
tudo quam minuris & pusillis in rebus quotidie occupata sit.  
Ac, ut de amplissimo purpuratorum patrum ordine & conven-  
tu loquar, num tibi videntur pleraque eorum judicia, quæ  
statim legitimisque diebus &c. ex temporibus palam eduntur, non  
dicam, augusto illo confessu, sed insino aliquo tribunali satis  
digna esse? Eadem est querela Perraltii in Comparatione  
auctorum antiquorum cum hodiernis, ubi elegantissimo  
carmine oratores nostros priscis illis Romanis Græcis-  
que

que nequidquam cedere, ostendit. Quod ego ex Gallico sermone in Latinum solutum transferam, tametsi, venustatem ejus me asseturum, desperem: Antiquitas, inquit, nostro seculo maximos oratores suos oponit. Iactat Ciceronem atque Demosthenem, æterna Romæ & Athenarum ornamenta. Qui fulmine orationes & sola nominis celebritate reverentiam nobis terroremque incutiunt. Sed non detrectamus certamen. Accedant illi, at paribus armis; at sine prærogativa subeant pugnam cum nostris declamatoribus. Relictis magnificis suis de salute & administratione reip. de vita ac bonis regnum & principum consultationibus, in nostris foris defensionem duorum passuum de agro alterius usurpatorum suscipiant, exerceant acumen in expolienda & ex antiquis consuetudinibus probanda servitute cloacæ, ostentent ingenium doctrinamque in causis triobolaribus rusticuli cuiusdam agitandis, etc.

XXV. Scilicet, et si jura nostra dicant, prætorem minima non curare *L. 4. de Restit. in int. actionem de do-*lo, si summa modica sit & duos aureos non excedat, non dari. *L. 10. & 11. pr. de Dolo;* DD. tamen has leges ad remedia saltem extraordinaria, qualia sunt restitutio in integrum & actio doli, restringunt; actiones vero ordinarias, veluti in factum, *L. 22. in f. pr. de Damno inf.* ad exhibendum, *L. 5. § 3. Ad exhib. furti L. 5. § 6. de A. R. D. Ord. Crim. art. 167.* etiam ob minimas res concedunt. Quod hodie adhuc in aliis etiam actionibus servatur. Sed hac licentia & partes sæpe ad temere litigandum, & advocati ad futilem hujusmodi lites cum commodo suo inflammandas inducuntur. Relatum mihi memini ab aliquo causarum patrono, rusticum instituta de gallo gallinaceo rei vindicationi plus triginta thaleris im-

pen-

pendisse; alium vero, qui agro suo particulam quatuor vel quinque pedum per fraudem vicini decessisse con- querebatur, mota finium regundorum actione & factis jam multis impensis, de transigendo admonitum respon- disse, malle se patrimonium profundere, quam ab hac lite resilire. In terris Brandenburgicis cum versarer, recordor, duas nobiles matronas, quarum altera suam in templo sedem cancellis muniverat, altera, id prosp- etui suo officere, asserebat, orta hac de re lite & ex- tractis subinde commissionibus, 1000 thal. impendisse. Quam vellem, hi judices regulam in Nov. 69. f. 1. pro- positam observarent, ne quem plures impensas pati si- nerent, quam rei, de qua litigatur, aestimatio est.

XXVI. Sed in scholis etiam disputationes super nullius momenti causas saepius institui videmus. In cu- jusmodi levissimis contentionibus antiquorum ICtorum subtilitas nostram adhuc vanitatem superare videtur. Cicero: *ICtus*, ait, *ipse per se nihil, nisi legulejus quidam cautus & acutus, praeco actionum, canticor formularum, auceps syllabarum*. Et alibi: *Dignitas, inquit, in tam tenui scien- tia quae potest esse? Res enim sunt parvae, prope in singulis literis, atque interpunctionibus verborum occupatae*. Hæc ille jam de suo tempore, quo tamen subtilest istæ concertationes nondum adeo per vulgatae erant. Postea enim mirum in modum creverunt vanæ illæ lites, institutis diversis ICtorum familiis, Cassiana (sive Sabi- niana, uti in f. 28. I. de R. D. vocatur) & Proculejana. Nam, cum Labeo primus ab iis secessionem faceret, qui traditis sibi a præceptoribus suis doctrinis & fori observantia firmiter inhærebant, atque secundum L. 2. f. 47. de O. I. plurima innovare (melius renovare, vel re- ducere, dixisset) institueret, non quidem, uti id com- muni-

muniter DD. interpretantur, ex proprio ingenio ac rerum novarum studio, sed, ut ipse Capito, summus illius adversarius, apud *Gellium L. 13. c. 12.* fatetur; ex nimio antiquitatis amore, quo ductus nihil ratum pensumque habebat, nisi, quod justum sanctumque esse, in Romanis antiquitatibus legisset; tum vero maxima de vilissimis rebus litigandi occasio data est. Labeo enim sine ratione s<sup>e</sup>pe cavillationes atque subtilitates prisci juris per novas constitutiones ac observantiam dudum arrogatas, reducere volebat. Qui conatus quam absonus & ridiculus plerumque fuerit, & quam bene a novi juris defensoribus, Capitone & illius satellitibus op<sup>p</sup>ugnatus, vel ex hoc exemplo pateat, quod ex *Gellio L. 13. c. 12.* excerpam. More majorum introductum erat, ut tribuni plebis aliquem ad se in jus vocare non possent; possent tamen ipsi venire, ac, quemcunque vellent, prehendi jubere. Id, quod absurdum visum posteris, & longo jam usu mutatum fuerat, ut adeo tunc temporis tribuni plebis & citandi & prehendendi potestatem haberent. Cum igitur Labeo aliquando coram tribunis plebis accusatus, ab his, miss<sup>o</sup> viatore, in judicium vocaretur, jussit eum, qui missus erat, redire & tribunis dicere, jus eos non habere, neque se, neque alium quemquam in causa vocandi, cum moribus majorum tribuni plebis prehensionem haberent, vocationem non haberent. Quid vanius, quid subtilius poterat excogitari? Ineptiores tamen adhuc sunt illae de vocabulorum derivationibus, sive etymologiis controversiae. Qualis, ut ex *L. i. de Furris* constat, inter Labeonem & Sabinum, Capitonis successorem, agitata est, quorum hic furum a fraude, alter a furvo, i. e. nigro appellari putavit: neuter recte, si *Cujacio b. O. 2.* credimus, qui fur-

D

tum

tum a ferendo deducit. Sed infinitum esset, omnes harum sectarum opiniones diversas, & pugnantia studia colligere. Innumeræ dissensiones & sententiae singulis fere ICtis propriæ fuerunt de speciebus, quæ supellecili annumerari debeant, de penu, &c. de quibus vide *Alexandrum ab Alexandro in Genialibus diebus, Bækelen de diversis ICtorum Romanorum familiis & Menagium in Amenitatibus Iuris.*

XXVII. Afferemus etiam aliquas ex hodiernis disputationes, quæ de rebus levibus & nullius momenti instituuntur. Operosa est, sed ridicula Feltmanni contentio, cum in libro *de Inclusione animalium contra expressum s. i. I. de Lege Aquil.* & consensum plerorumque ICtorum, singularem quorundam veterum opinionem revocat & defendit; sues feris bestiis esse annumerandas. Cujus argumentis breviter, sed argute & false respondet Huberus in *Prælect. ad I. de Lege Aquil. §. i. In Westphalia* (unde erat Feltmannus, &, ubi sues cum hominibus ad minimum russicis in eadem caimera habitant, vescuntur & cubant) nihil egent argumentis longe petitis, ad probandum, sues gregatim pasci.

XXIX. Non erraverim, ut spero, si ad hanc classem nimias & inutiles Doctorum quorundam subtilitates referam. Quarum cum infinita sint genera, eorum aliqua ordine enarrabimus. Recensebo primum illos, qui leges obscurissimas, quas vulgo damnatas vocant, explicaturi, implicant eas magis, allatis novis subinde emendationibus, illustrationibus, diversis opinionibus. Sic super L. 69. pro Socio & L. 38. de *Condit. indeb.* quæ peritissimo cuique crucem figunt, vel centum enumeres commentarios & diversissimas interpretationes,

tiones, quæ jam dudum leges istas immedicabiles redididerunt, atque nulli in foro usui esse possunt.

XXIX. Veniunt nunc illi, qui religiose nimis Iustiniano in L. 2. f. 15. C. de V. I. E. obtemperaturi, ne quid contrarium in libris juris positum admittant, animo plus, quam par erat, subtili diversitatis rationes excutiunt, & cum Vulcano apud Ovidium

*Retiaque, & laqueos, quæ lumina fallere possent,*

*Elimant: non ilium opus tenuissima vincare*

*Stamina, nec summo quæ pendet aranea tigno.*

Malta possem afferre ejusmodi subtilium magis, quam verarum & utilium conciliationem exempla. Sed unum sufficiat. Regula: servitutem voluptatis causa non recte constitui; quam Doctores falso ex L. 8. pr. de Servit. colligunt; videtur everti per L. 15. de S. V. P. et L. 3. de Aqua quod. ubi, servitute prospectus gratiorem etiam prospectum contineri, &, amicitatis quoque causa aqueductum acquiri posse, afferitur. Operosi sunt in his contradictionibus removendis interpretes, atque suis dissensionibus incertitudinem augent. Sed his omnibus subtilior Huberus in Eunomia sua differentiam, quam nemo antea observaverat, neque fortasse observaturus fuerat, & de qua Iustinianum cogitasse verosimile non est, ponit inter voluptatem & amicitatem. Cujus diversitatis rationes hic non excutiām, cum ob tenuitatem & meos, & lynceorum etiam oculos effugere queant. *O legum subtile nefas!* hic cum Grotio exclamares. Cur non potius secundum rectæ rationis & aliarum legum civilium dictamen dicamus, servitutem recte etiam voluptatis & amicitatis causa, imponi, tres autem illos casus in L. 8. Pr. de Servit. propositos ab hac regula eximi, ex singulari quadam majorum nostro-

nostrorum voluntate & persvassione, cuius, ut ipse juris conditores in L. 20. de LL. fatentur, non semper potest ratio dari. De his & similibus conciliationibus recte cum Budæo in Annotationibus prioribus in pandectus ad L. ult. de Ædilitio edito, dicas: *Nisi ista & hujusmodi contraria omnino inter se, atque etiam pugnantia sint; non video, cur ajentia & negantia pulchre convenire non possint. Nec tamen ignore, nihil tam dissonum esse, quod Accursius interpretatione illa ariolarice & desultoria, consentaneum etiam & quadrans esse, persuatere iis non possit; qui lege Pythagorica in auctoritatem ejus a præceptoribus adacti sunt.*

XXX. Superflua etiam illorum subtilitas ferenda non est, qui, dum ad jus nostrum commentantur, novos eosque non dabiles, ut vocant, casus, vel, qui in seculo vix contingere poterant, effingunt & in illis ad leges applicandis operam consumunt. Hos velim admonitos, practicam esse, §. 3. I. *Proem.* non contemplativam Iurisprudentiam nostram, neque de iis, quæ nunquam aut raro fiunt, disponere. Amplior jam dum est disciplina juris, quam, ut supervacaneis & inutilibus inventionibus extendi debeat. Sed exemplo res clarior erit. Certum est per Avth. Generaliter C. de Episc. & Cler. actorem, qui neque fidejussoribus, neque pignoribus cavere possit, ad juratoriam cautionem admitti. Cuncta, quæ ad hanc doctrinam pertinere poterant, dubia, questiones & casus adeo copiose a DD. pertractantur, ut exhausta omnia videre possent. Sed novum additumque insolitum casum Carpz. I. 2. Resp. 80. Quærit nempe, utrum is, cui iam tum per sententiam imposita erat juratoria cautio, si, antequam juraverit, adhuc idoneum fidejussorem inveniat, a præstatione jura-

juramenti liberetur, &c, an adversarius ejus fidejussorem accipere cogatur. Facilis quidem erat decisio ex jurisjurandi illius formula, in dicta Auth. contenta & usu sori recepta, qua affirmare debet actor, se fidejussorem dare non posse. Vnde, si postea aliquem reperiret, a praestando jurejurando, tametsi per sententiam imposito, deberet liberari; secus ac Carpzovio videtur. Sed, quid opus est, difficiles habere nugas, cum non probabile sit, unquam accidere posse, ut adversarius melit, verbis sibi & jurejurando caveri, quam oblatum indoneum fidejussorem accipere. Cereprimum igitur ille casus mihi videbatur, neque possibile, ut in fores eveniret. Sed affirmavit mihi tamen Magnificus Praeses, accidisse subinde, ut aliquid aut Carpzovii auctoritate abrepti, aut ab advocatis decepti, cum idonei fidejussores offerrentur, exposcerent, stupentibus judicibus, ut jurejurando sibi caveretur. Qua de re semel vel bis Ordo Vitembergensis pronunciavit.

XXXI. Alii, ut difficiliorem suptilioremque redditur juris tractationem, ejus capita vanis & superfluis distinctionibus exornant. Quarum exempla iis deficerent non possunt, qui communium juris interpretum volumina evolvunt. In primo statim vestibulo otiosae illae & obscurae justitiae in universalem & particularem; hujus in pistrutivam & commutativam divisiones occurunt. Quales, si nullum aliud, hunc certe praestabunt usum, quem fabulae & ænigmata illa praestiterunt priscis Ægyptiorum philosophis, ut sapientiam suam, quam perspicue proponere poterant, tenebris involveret, atque multos ab ejus limine horridiore hoc adspectu arcerent. Quia enim, quæso, aliud efficiunt caliginosæ & inutiles distinctiones ( qualem

D 3

supra

supra §. 29. attuli, & cujusmodi passim apud DD. e. g. ad L. 63. de *Vsufi.* in usumfructum formalem & causalem, ad §. 3. I. *Quibus mod. re corr.* in custodiam rei & custodiam circa rem, in remedium rescindens & rescisorum, &c. reperiuntur) quam, ut difficultate sua desperatos reddant juris studiosos?

XXXII. Reprehendendi sunt illi etiam, qui, contra L. 20. de LL. omnium, quæ a majoribus constituta sunt, rationem reddere desiderant, tametsi videant, ipsos etiam ICtos veteres suam hac in re ignorantiam sub-indefateri, exemplo Vlpiani in L. 12. §. 1. *Qui & a quibus man.* & Caji in L. 9. de *Relig.* & *sumt. fun.* Vix dici potest, quantum, dum hoc faciunt, dissidiis & logomachiis aperiant occasionem. Singulier enim, quando ingenium suum in investigandis obscuris legum quarundam & dispositionum singularium rationibus ostentare volunt, nova semper excogitant & diversa ab his, quæ alii dixerunt. Singulas ergo videoas singulorum interpretum opiniones. Hinc ortæ sunt infinitæ Doctorum dissensiones, e.g. de ratione, quamobrem actio finium regundorum sit stricti juris, cum reliqua omnia divisoria judicia bonæ fidei habeantur; in quo præcipue consistat differentia specifica publicorum judiciorum; cur rei vindicatio detur illi, cuius frumentum cum alterius frumento commixtum fuit, non autem ei, cuius numi cum alterius numis confusi fuerunt; cur facilius in hereditatis petitione, quam in rei vindicatione & reliquis actionibus, quis restitutionem impensarum in rem alienam factarum consequatur, &c.

XXXIII. Sed eo etiam deveniunt nonnulli, ut, cum causas verosimiles, cur hoc illudve statutum sit, invenire nequeunt, ad absurdas etiam & ridiculas configi-

fugiant. Lapsus est aliquando ICTus elegans & aceratus alias Noodt in *Probabilibus juris l. 2. cap. 2.* Disquirit ibi, quamobrem, transactione inter legatum & testamentarium herdem de dividenda hereditate facta, credidores in *L. 14. de Transact. jubeantur*, utrumque pro parte hereditatis adire, cum tamen in *L. 3. pr. eod.* in simili plane easu legatarii ad solum heredem testamentarium remittantur. Explosis melioribus, quas alii asserunt, rationibus omnibus, novam ipse in eo quaerit, quod utriusque legis unus auctor sit, Scævola scilicet, sed, quod *L. 3. ex Digestorum, L. 14. ex Responsorum libris* fueri desumpta. Igitur in hac, ait, non respondit Scævola ex animi sui sententia, sed, ut amico, cui respondebat, rem gratam acceptamque ficeret, a certo jure, quam oporteret, recessit longius, & commisit peccatum manifestum. At in *L. 3. docentis personam sustinet*, & judicio ingenuo utilitur ac minus obnoxio. Tantum sibi placet hoc commento suo, ut miretur, illud post ut secula potuisse effugere oculos eruditorum. Contradixerunt ei tamen alii non immerito atque novum nobis & celebre sic suppeditarunt logomachia exemplum.

XXXIV. Locum quoque hic merentur illi minutissimarum rerum minutissimi scisciratores, quorum tam feracia fuerunt superiora secula. Cum enim illi, qui perfectorum ex omni parte philosophorum, sive, ut hodie vocantur, polyhistorum titulum affectabant, nihil esse ulla in arte rerum omnium, praedicarent, quod ipsi nescirent; ut hoc ostenderent, in publicis conventibus experiundos se vulgo tabant, poscebant, qua de re quisque vellet audire, & de omnibus, quæcunque in disceptationem quæstionemque vocarentur, se copiofissime dicturos esse profitebantur. Qui primi hanc sui

Sui licentiam faciebant, Leontinus Gorgias, Eleus Hippias & alii, quos Cicero l. 3. de Orat. meminit, hi divino ingenio & stupenda eruditione prædicti habebantur. Sed succedebant postea multi rhetores aliqui, qui, ut loquentiam suam ostentarent, jubebant rogare se, si quis quid omnium rerum volebat dicere. Quorum jactantiam cum non ferrent ceteri, tricas & difficillima dubia ac quæstiones excogitabant, quæ ostentatoribus illis objicerent, & quibus ad silentium eos redigerent. Id quod frequentissime accidisse, ex Gellio l. 4. c. 1. l. 7. c. 17. l. 16. c. 6. discimus.

XXXV. Sed non philosophorum solum atque Grammaticorum ea recordia erat, ut *remotas* hujusmodi quæstionum nebulas & formidines *ad capiendos imperitorum animos ostentarent*. Iurisperiti quoque, si qui ad sumnum in hac arte fastigium adspirabant, eidem se periculo committere necesse habebant. Si qui inter se æmulabantur, si qui simul munus aliquod prensabant, hi invicem committebantur; ut unus alterius subtilissimis quæstionibus responderet. Quibus qui non ex asse satisfaceret, hic de spe sua dejectus laudem omnem antea paratam amittiebat. In hujusmodi disceptatione Cujacium Fortaculo succubuisse, supra §. 5. diximus. Par certamen per totam fere vitam inter Bartolum & Baldum fuit. Cum enim ille, hunc suum discipulum acquare laudes suas videret, ut famam ipsius imminueret, publice saepè ipsius ingenium hoc disputandi genere in discrimen vocavit. Vix docendi facultatem adeptus erat Baldus, cum a Bartolo provocatus per quaque horas contra eum stetit, & masculine ejus tela exceptit. Paulo post & ipse Bartolum aggressus est, atque sic argute quidein, ut is quæstionum acu-

acumine perterritus respondere non potuerit, tempore. que ad solvendum petito, sequenti mane responderit. Ipse autem Baldus legem difficillimam sibi a Bartolo propositam mirifice explicuit. Sed cum incalcerent indiges animi, repetita subinde eadem contentione, atque Baldus in interpretatione cuiusdam legis, quam ipsi adversarius objiciebat, ad Pandectas Florentinas provocaret, haec publice consulebantur. Quibus erroris convictus Baldus & ita traductus fuit, ut patria etiam excederet, & abiens Scipionis Africani verba proferret: *Ingrata patria, ne ossa quidem mea habebis;* ac tandem in voluntario exilio senex decederet; si Iasoni credimus, ex quo id refert Panzirol. de Claris legum interpretibus.

XXXVI. Dubia autem illa & quaestiones, quas movebant, ex legibus illis difficillimis &, ut vocabant, desperatis plerumque desumebant. Quibus adeo se mutuo exercebant, ut, si *Accursio* fides habenda est, magni saepe DD. inter quos petrus Bailardus, qui se jactavit, quod ex qualibet, quantumcunque difficultate, litera traheret simum intellectum, dicere necessum haberent Nescio. Inter obscurissimas illas leges frequens erat L. s. C. Finium reg. Ex qua saepe, ut Crinitus de Honestâ discipl. l. 25. c. 4. refert, quae situm est superiori aetate a viris doctioribus, quidnam præscriptio quinque pedum signaret, qualisque foret in ea intellectus. Quam rem complures cum non satis perciperent, hac una ratione se defendebant, quod Io. Bajolardus, inter eos, qui jus civile profiteretur, vir consultissimus, ingenue affirmavit, se illud ignorare. Tanta erat illo tempore, quo antiquitates Romanæ non excolebantur, hujus legis formido, quam tamen Alciatus postea sustulit in suo de Præscriptione quinque pedum commentario. Vide etiam Gothofredum ad b. L. cuius explicationem probamus.

E

XXXVII.

XXXVII. Non possum , quin exemplum aliquod  
hujusmodi certaminis, aut, si mavis, disputationis ju-  
ridicæ ex *Boxhornii Historia Universalis* adjiciam. Au-  
tor hic: Vallam, inquit, aliquando acerbe increpuit  
jurisperitus quidam, quod, ut tutor ultra crepidam,  
humaniorum literarum cultu haud contentus falcem  
mitteret in messem alienam, & juris Romani peritiam  
sibi arrogaret. Quin explicaret igitur locum aliquem  
ex *Codice*; & monstrabat simul famosam illam & diffi-  
cillimam legem *Quinque pedum præscriptione*, quam a ne-  
mine ejus ætatis ICtorum intellectam, imo depositam  
esse constabat. Valla contra: Quid improbius ait, quam  
velle damnare me, ut nihil juris intelligentem; quia  
locum aut nulli, aut vix ulli intellectum non exposue-  
rim? Debuisse illum proponi non ei, qui aliquid juris  
se intelligere diceret, sed ei, qui omnia. Interim, ut-  
cunque explicata hac lege, ipse iterum, alia e jure que-  
stione perita, adversarium ad silentium adegit. Nam  
cum de jure usucaptionum ex XII. tabb. nonnihil roga-  
ret, in eas angustias eundem illum suum adversarium  
adduxit, ut hic in conclave, velut furens se receperit,  
atque ex eo tempore homo vindictæ cupidissimus odio  
piusquam Vatiniano Vallam fuerit prosecutus, vitæque  
ejus insidiatus.

XXXIX. Sed revertor ad nimias ICtorum sub-  
tilitates, & ex his ortas logomachias; qualis etiam com-  
mittitur ab antiquariis quibusdam nimis religiosis, qui  
superstitioso quodam in illas Græcas & Romanas anti-  
quitates amore feruntur. Duplia sunt potissimum eo-  
rum peccata. Vnum , quod plus, quam satis erat, eu-  
riosi in res veterum etiam minutissima inquirant; &,  
quotquot, in illis non pari reverentia versantur, supre-  
mæ

mae ignorantiae & negligentiae accusent. Alterum, quod omnia veterum, maxime totum judiciorum & reip. Romanæ statum ad hodiernum nostrum accommodare laborent.

XXXIX. Evidem illorum cause non patrocinabor, qui nulla plane antiquitatum scientia instruēti ad legum interpretationem accedunt. Vidimus jam in §. 36. quam id sit miserum. Fodissimi sunt illorum errores, qui cum *Glossatoribus* suam in rebus veterum incitiam explicationibus absurdis & ridiculis derivationibus produnt; qui, ut est apud *Menagium in præf. ad Amén. Iuris orationem* Divi Marci in L. i. pr. de Feriis de precibus ad Sanctum Marcum Evangelistam interpretantur. Est profecto non contemnendum, & necessarium etiam aliquod antiquitatis studium. Ipse id Imperator ostendit, qui sœpe in *Institt. Satis prolixe jus vetus & abrogatum recenset*, ut in *tit. de Ariliano tutori, de Testamentis ordinandis de Fideicommissariis hereditatis*. Quod etsi a quibusdam ipso vitio vertatur, doctiores tamen animadvertisunt, innumeratas leges doctrinasque ex hac obsoleti juris enarratione lucem acciperē. Quapropter non potui sœpe sine risu considerare locum illum communem, unde exordia sua defūserunt plerique, qui ante 30 vel 40 annos disputationes juridicas confecerunt. Pauci sunt, qui non ita ordiantur; abituros se ex academia voluisse speciminis loco aliquam disputationem facere, & quidem de materia practica, relicis antiquitatibus illis & jure veteri, quia pœta aliquis diceret: *Turpe est, difficiles habere nugas.* Nescierunt scilicet miseri illi, Doctores, quibus nos restitucionem juris Romani in pristinum nitorem debemus, & ex quorum commentariis ipsi centones suos composuerunt, nisi in

E 2

vete-

veteribus illis nugis desudavissent, nobis certe elegan-  
tia illa & accurata scripta non reliquisse.

XL. Sed hi tamen veniam non merentur, qui tan-  
to rerum antiquarum amore excæcati sunt, ut cum  
*Lipso* in minimis etiam vera scire cupientes, ætatem su-  
am in minutiss veteranum inquirendis consumant. Ad  
quos applicari potest, quod apud *Gellium* l. 16. c. 10. juris-  
peritus de voce aliqua obsoleta interrogatus responderet:  
*Ego vero, inquiens, dicere atque interpretari hoc deberem,*  
*si jus Faunorum & Aboriginum didicissim.* Sed enim cum  
*Proletarii, & vigintiquinque asses, & taliones, furtivorum-*  
*que quæstiones cum lance & licio evanuerint, omnisque illa*  
*duodecim tabularum antiquitas consopita sit: studium sci-  
entiamque præstare debeo juris, & legum, vocumque earum,*  
*quibus utimur.*

XLI. Eo usque procedunt aliqui, ut leges & dispo-  
sitiones juris civilis obsoletas etiam diu & antiquatas in  
usum tamen reducere & ad judiciorum nostrorum sta-  
tutum, licet plane diversum, accommodare conentur. Quæ  
res quantam obscuritatem & confusionem pariat, ea,  
quæ afferemus, exempla facile ostendent. Tametsi  
enim non probemus illorum levitatem, qui cum *Horo-*  
*manno, Autumno & Grönemegio pleraque Romana jura,*  
*si ab iis fori nostri observantia vel in unica circumstan-*  
*tia recedat, statim abrogata penitus & inutilia vocife-  
rantur; eorum tamen improbari debet conatus, qui*  
*omnia, quæ cum natura etiam nostrorum processuum*  
*pugnant, servare nihilominus & in usum deducere*  
*volunt.*

XLII. Qui de interdictis illorumque in foris Ger-  
manicis usu scribunt, mirum in modum se excruciant,  
ut, qua forma, & quo ordine illa hodie interponi de-  
beant,

beant, demonstrent. Atque non vident illi, frustra hæc omnia disputari, cum Iustiniani jam tempore interdicta penitus abrogata non potuerint unquam in forra nostra transire. Qua de re dubitare non sinunt (1.) L. 4. C. de Interd. ubi, ruptis veteribus ambagibus, nemo amplius interdictum efflagitare, sed actionem exprimere jubetur. (2.) §. ult. I. de Interd. ubi Imperator, explicata antea vetero interdictorum natura & divisione, epiphonematis loco addit: non est necesse bodie, reddi interdictum, sed judicatur sine interdictis (3.) rubrica tit. D. de Interdictis, sive extraordinariis actionibus, quæ PRO HIS competunt (4.) L. 3. C. de Interd. ubi interdicta saltem in ordinariis, nunquam in extraordinariis judiciis locum habere dicuntur. Iam vero secundum §. ult. I. de Interd. omnia hodie judicia sunt extraordinaria. (5.) consensu omnium Doctorum in eo, quod formulæ & conceptiones verborum ab usu recesserint, in quibus tamen ipsa interdictorum natura consistebat. Vide illorum definitionem in pr. I. de Interd. ERANT interdicta formæ atque conceptiones verborum. Neque obstat, quod, si abrogata fuissent interdicta, Imperator in illis recentendis adeo operosus non foret. Præterquam enim, quod hoc non insolitum sit Iustiniano, ut ex titulo D. de Interrogationibus in jure faciendis & interrogatoriis actionibus, quæ per L. i. f. i. b. i. abrogantur, apparet; uberior etiam interdictorum explicatio ideo necessaria erat, ut actiones, quæ in illorum locum successerunt, atque multa ex eorum processu retinuerunt, eo melius intelligerentur. Quapropter infra&tuosus est horum labor, qui, ipsa interdicta adhuc hodie apud nos usum habere, autumant, inter quos hallucinatur etiam Gethofredus, qui ad rubr. D. de Interd. An interdicta, inquit,

E 3

bodie

bodie sublata sunt? Minime; sed tantum vetus & curiosa  
verborum solennitas.

XLIII. Non minus frustranea est solicitude eorum, qui, dum judiciorum nostrorum & processuum formam describunt, religiose nimis ad illam veterum jurisdictionem respiciunt, atque istas ejus divisiones in ordinariam & extraordinariam, in propriam, mandatam & prorogatam, illas praetores, praefecti urbis & judicis pedanei differentias, illud imperium merum & mixtum, illud jus dandi judicem, &c. ad nostra tempora applicant. De quibus non inique Schilterus Ex. ad π.  
6. s. i: In confessio, inquit, est, causam incertitudinis & ob-  
securitatis hujus materiae potissimum esse tot varias DD. in-  
ter se discrepantes opiniones, nec non atrae deoīā istam, na-  
turam jurisdictionis, prout bodie a cuiuslibet reip. forma ac  
jure peculiari dependet, ex jure Romano aestimare, unde sit,  
ut plurima a DD. hac de re tradantur, quæ tamen in usu  
practicō aliter observantur.

XLIV. Quorundam juris publici scriptorum, ejus maxime temporis, quo emergere primum illius scientia cepit, hoc etiam fuit peccatum, ut de statu reip. Germanicæ ejusque Imperatore & ordinibus scripturi, veterem Romanorum magistratum & jurisdictionis conditionem cum illis confunderent. In decisionibus controversiarum inter principes textus crepabant juris ci-  
vilis, ad ipsos Electores, principes, ordinesque digni-  
tates illas, de quibus liber ultimus Codicis agit, applica-  
bant; praefectos praetorio, praesides provinciarum, &c. appella-  
bant. Sed, postquam Lebmannus primum in Chro-  
nico Spirensi, atque post eum Conringius de Imperii Germa-  
nici republica docere ceperunt; juris publici notitiam non  
ex legibus Romanis, sed ex historia, antiquitatibus at-  
que

que legibus Germanicis hauriri debere; suppuduit plerosque, Sanctiones Romanas ad statum nostrum publicum, cum quo illæ nullam convenientiam habent, applicare. Nihilominus remanserunt aliqui superstitione Romani juris amore occæcati, qui prædecessorum vestigia relinquere detrectarent. Inter quos *Lampadius* magistrum suum, *Paurmeisterum*, imitatus de *Iurisdictione Imperii Romano-Germanici* scripsit. Ac licet postea, vissis Conringii libris, agnosceret, quam absurde superioritas territorialis jurisdictionis, ordines autem Imperii magistratus appellarentur; in secunda libri editione titulum quidem emendavit, & de *Rep. Romano-Germanica*. inscripsit, ipsum tamen opus corrigere non est ausus. Quam parum apte *Carpozivius* Capitulationes Imperatorum legem regiam vocaverit, nemo est, qui ignoret. Aliqui etiam, qui Institutiones juris publici scriperunt, in eo reprehenduntur, quod ordine a Iustiniano in suis *Institut.* servato eas composuerint. Nam cum & principia & leges juris publici a civili jure sint diversissima, hujus methodus ad illud non sine confusione & obscuritate potuit applicari.

XLV. Tertia nunc adeat logomachiarum classis, eas continens controversias, quæ de verbis uno vel pluribus agitantur. Quarum explicationem antequam suscipimus, monendus est lector, non omnes super verba lites a nobis damnari, sed esse aliquas apprime utiles & necessarias. Illas puto, quæ in interpretatione legum, testemontorum ac diplomatum circa verba ibi ambigue aut obscure posita evitari non possunt; cum non raro ex una voce omnis totius scripti vis dependeat. Quod ut clarius pateat, afferemus; aliquas hujusmodi disputationes super verbis celeberrimas; inter quas illustris maxime est

est illa, quæ in interpretatione legis divinæ matrimonialis *Levit. XIIIX, ii.* propositæ debuit ventilari.

XLVI. Nempe constanti haetenus DD. omnium consensu & perpetua fori observantia receptum erat, matrimonium inter comprivignos, tametsi fratrem sororemve communem haberent, & humano, & divino jure permitti; ac textum illum *Levit. XIIIX, ii.* de sorore consanguinea explicari debere secundum Lutheri & plerorumque versiones. Sed turbavit hanc concordiam *Ant. Matthæi disp. fundam. 7. §. 18.* atque, ut ipse ait, primus omnium observavit ex novis versionibus *Tremellii, Junii & Piscatoris;* locum illum denuptiis comprivignorum agere, cum vox *Moledeth,* quam communiter explicant, quæ genita est patri tuo, sic potius transferenda sit, quæ facit gignere patrem tuum; ut per eam novera intelligatur, atque nuptiæ cum ejus filia ex alio matrimonio nata prohibeantur. Reperti sunt statim, qui pro nova hac *Matthæi* sententia propugnarent, Philologi & ICti, *Vissembachius, Boblius, Schneegassius, Strykius ad Brunnum. Ius Eccl. Thomæsi in Iurispr. Div.* Sed non deerant etiam contrariae parti patroni sui, inter quos *Bachovius ad Trentl. Gerhardus de Conjugio & Corbmannus, Theologus Rostochiensis,* in peculiari libello præ aliis laborarunt.

XLVII. Qui utriusque partis scripta legerunt & rationes curatius ponderarunt, deprehendent facile, firmiora esse illorum argumenta, qui matrimonium comprivignorum in dicto textu prohiberi existimant. Nam i) quotquot literarum Hebraicarum sunt peritores, hanc sententiam sequuntur, &, vocem *moledeth* activam esse, constanter profitentur. Illi autem, qui contra sentiunt, non videntur adeo instructi linguae

Hebrææ

Hebrææ notitia, & nihil habent, quod istorum argumentis reponant, quam hoc; non temere tamen erroris accusari debere majores nostros & Consistoria. Imo *Cothmannus* plane ait, initium hujus rei non esse facendum a versione, utpote suspecta. (2) omnes norunt, quantum in libris etiam humanis, non dicam divinis, quippe perfectissimis, vitium sit, otiosa ejusdem rei repetitioso, quam *tautologias* vocant. Quod si ergo aliud effugium suppetat, vindicanda est semper a tautologiis sacra Scriptura. At vero illi, qui *Lev. XIIIX. ii.* de nuptiis cum sorore consanvinea accipiunt, negare nequeunt, superfluam tunc esse hanc prohibitionem, quippe jam in *versu 9.* antecedente propositam. Melius ergo faciunt, qui, ne tautologiam admittant, in dicto illo nuptias comprivignorum interdici, afferunt. (3) Ipse *Gerhardus* & *Cothmannus* formidolosi sunt, neque satis sententiae suæ confidunt, cum ipsi ejusmodi matrimonia tanquam intuta dissimileant.

XLIX. Cetera, quæ objiciuntur, explodi facile possunt. Nam, quod (1) inter comprivignos nulla sit neque cognatio, neque affinitas, & proinde nulla etiam matrimonii prohibitio locum habeat; certa quidem hæc regula est jure civili *§. 8. I. de Nuptiis*, confirmata etiam jure canonico *c. 5. X de Consangu.* (quod tamen sibi ipsi contradicit in *c. 5. causa 35. q. 10.* ubi nuptias non solum inter comprivignos, sed & ulteriores gradus interdicit) nunquam vero divina lege, cuius hoc potissimum & generale principum est ex quo omnes matrimonii prohibiciones derivantur *Levit. XIIIX. 6. Non accedes ad carnem carnis tuæ.* Soror autem mea comprivigna, si cum ea aliam sororem aut fratrem communem habeam, est utique caro carnis meæ. (2) quod adversarii vociferan-

ferantur, indignum esse & sacrilegum, Iustinianum, majores nostros omnes & Consistoria erroris contra Scripturam Sacram admissi accusare, eo quidem fulmine non terremur. Præterquam enim, quod jam ex Decreto observaverim, Patrum aliquos nostram esse sententiam amplexos (id quod a nemine adhuc, quem ego legerim, auctoritatibus adversariorum nostrorum fuisse oppositum miror) Iustinianus ipse fortassis & Consistoria facile nobis veniam indulgebunt, quod veritatem magis, quam eorum sententiam sequamur. Ceterum satis ridiculum est illud Corbmanni classicum, quod adversus hujus sententiæ propugnatores canit, quo lCtos omnes, ut contra communes hostes & impios Iustiniani contemtores egrediantur, provocare laborat.

XLIX. Non minus etiam necessaria est interdum in legum civilium interpretatione super verba disputationis; tum potissimum, cum aut vox aliqua, ex qua decisio magni momenti, vel totius legis intellectus dependet, obscure vel ambigue posita, falsis & diversis explicationibus locum dat, aut, cum ejusmodi vox injuria temporis & oscitania librariorum corrupta medicas criticorum manus exposcit. Vtique casu necessarium est, ut sensus ejus & vera lectio investigetur recte, ac contra aliorum falsas interpretationes vindicetur. Quod qui faciunt, tantum abest, ut logomachias exerceant, ut potius, si omittant & negligant, vanis & inutilibus saepe litibus implicentur.

L. Exemplo nobis erit disputatio, quam Pacius Isagog. tit. Si quis in jus voc. & Schilterus Ex. ad m. 7. f. 12. cum Lauterb. Ex. 6. §. 3. instituunt. Quorum illi ex L. 2. f. 1. Si quis in jus voc. rusticum in jus vocatum, si agri-

culturæ occupationibus impeditus non compareat, a contumaciæ poena liberari afferunt; hic id negat propter L. 2. C. de *injus voc.* Sed facile hac lite supersedissent omnes, si melius voces in legibus illis positas examinassent; quarum utraque nihil continet, quod ad ipsorum sententiam accommodari queat. Namque vox *rusticiratis* in ambabus legibus obvia nunquam in jure nostro de rusticatione & agriculturæ exercitio, sed semper de simplicitate & ignorantia juris, hominibus agrestibus familiari, accipitur; uti clarissime ex ipsa illa L. 2. C. de *injus voc.* si recte inspiciatur, L. 1. f. 5. de *Edendo*, L. 3. C. de *Defensoribus civit.* appetet.

L1. Est sæpen numero necesse, ut singularum etiam particularum, quibus oratio connectitur, adverbiorum, præpositionum &c. ratio habeatur, & penitus in illorum significationem inquiratur. Qua in re mirificam præstítuit operam *Straucbius* in *Lexico particularium Iuris*. Sic igitur in controversia, an actio ex interdicto Salviano adversus quemcunque debitorem; an, contra solum conductorem competit, omnis cardo in eo veritatur, utrum in L. 1. C. de *Salviano interd. verbis*: *tantummodo adversus conductorem debitoremve competit*; particula VE disjunctive accipienda sit, an relative, ut conductorem, qui simul sit debitor, connotet. Nobis cum *Magnifico Præside in Resolut p. 775.* placet prior sententia, nativo quippe vocis illius significatui convenientior.

LII. Est etiam necessaria aliquando professio studii juris critici, quam tamen nolim propterea cum *Hubero fastigium & complementum doctrinæ legalis* vocare. Sed est tamen necessarium interdum, ut, si quæ occurrent in libris juris Romani verba aut diuturnitate temporis corrupta, aut incuria librariorum depravata,

F 2

quæ

quæ iniquæ interpretationi locum faciant, vel ipsam legem obscuram reddant; restituantur atque sic desperatis & immedicabilibus, ut videntur, locis medicina afferatur. Quod quam sit utile, patet ex L. 34. §. 4. de Iurei. quæ nisi correcta & loco neque, æque substitutum fuisset, non posset conciliari cum L. 16. ejus tituli; patet item ex c. 3. §. 25. dist. 15. quod antequam a criticis emendaretur, & pro *haereticis, heroiis legeretur*, occasionem Canonistis quibusdam, quos Linckius ad Decret. in Proleg. c. 1. §. 2. recenset, dedit, ut omnia pœmata hæretica putarent. Quorum sententia tametsi mihi ab initio absurdissima videretur, animadverti tamen postea, alia quoque esse loca juris Canonici, quæ eos in hac sententia confirmarent, e. g. c. 2, 3. & 15. dist. 37. in quibus Virgilium tenere, Iambum struere, metra distinguere, inno plane figmenta pœtarum legere Christianus prohibetur.

LIII. Sed ad Criticos redeamus. Tantum profecto abest, ut laude, quam nunc ipsis tribuimus, contenti sint verborum illi aucupes & syllabarum tyranni, ut eam etiam, quæ veris ICtos debetur, auferre & sibi vindicare conentur. Se solos sapere, se ICtos esse, se fastigium eruditionis occupasse; indigne inquam, an ridicule vociferantur. Reliquos omnes, qui, relicta subtili vocum indagatione & emendatione, leges ad facta applicant, legulejos & rabulas appellant. Sed ignoscendum est illi arrogantiæ, quæ quasi communii peste plororumque Criticorum ingenia afflavit, ut paucos reperias, quorum in remp. literariam merita non obscurant magnifica de se ipsis opinio aliorumque contentus.

LIV.

LIV. Fatemur, utilia esse interdum Criticorum opera. Sed plerumque supervacua sunt & in logomachias abeunt. Magna extant *Cujacii*, *Fabri*, *Menagii*, qui inter Critices professores familiam ducunt, nomina. Illi vero maximam, quam naucti sunt, famam, antiquitatum & bonarum literarum scientia, & dextra legum interpretatione meruerunt; exiguum etiam arte critica, sive textum ementationibus consecuti sunt. In his enim si utilia quædam, pleraque tamen non necessaria, exigua, audacia & iniqua deprehendes. Quantula, quæsto, hæc sunt; in *L. 13. de Adim. vel. transf. leg. Erotem servum*, non, *Herotem servum*; in *L. 11. de Publ. jud.* *Mæcianus*, non *Marcianus*; in *L. 13. de Statu hom. judicii*, non, *judicio*, legendum esse? Aut quam temerarium est, ea, quæ non capias primo intuitu, aut, quæ sententiae tuæ repugnant, corrigere statim tanquam corrupta, atque sic omnes juris libros censuræ tuæ subjicere? Atque hæc tamen sunt, quæ fere unice in Criticorum horum libris reperias, & de quibus bella cum aliis atrocissima gerunt. Quanta majore gloria digni haberi debent *Schilterus*, *Ziglerus* & *Huberus*, qui inter recentiores excellunt maxime, & quos ICtorum egregiorum & instructissimorum nomine ipsi non defraudabant malevoli, qui maluerunt illud, quo pollebant, ingenium in servandis & vindicandis legibus ostendere, quam in illis corrigendia gloriolam auçupari. De reliquo accuratum, sed modestum tamen de studio critico temperando judicium satis copiose tulit *Huberus* in *Dialogo de Ratione docendi & discendi juris, Digressionibus adjecto*.

LV. Sed est aliud etiam genus Criticorum, qui dictatores se bene scribendi loquendique faciunt; &

F 3

Vallæ

*Vallæ & Sallmasii* exemplo, omnes, qui regulis suis morem gerere, & Ciceronis præcise verba ac vestigia sequi detrectant, barboros statim ac rudes appellant. Græculos & Grammaticos vocavit antiquitas hos molestissimos verborum Latinorum exactores, qui & Cæsares reprehendebant, si quid perperam dixissent, & civitatem illos dare posse hominibus, se autem verbis, cum supercilie dicebant. Videas illorum quosdam hodie, in Hollandia maxime, qui libros juridicos non ex rebus, quas tractant, neque ex stylo & ordine, quo scripti sunt, indicant, sed ex verbis damnant, si illa non antiqua satis sunt, sed ad faciliorum ejus, quod tractatur, argumenti explicationem a ICtis inventa; vel saltem non accurate satis ed eorum gustum exarata. Multis capitale est, tyro, non tiro, solenniter, non solemniter &c. scribere; aliis, vocabula juritica adhibere. Quorum censorum rigorem sic extimuerunt aliqui, inter quos Budæus & Grotius, ut de rebus juridicis scripturi non auderent tamen ICtorum terminis uti, sed ambages potius in illis describendis adhiberent, & sic malent antiqui, quam perspicui videri. Nolo tamen eos defendere, qui plane ab humanitatis studio alieni quandam barbariem etiam in scriptione sua affectant. Idem de illis, quod Rittersbusius, sentio, qui: *Illud, ait, quod concoquere in nostris Candidatis nequeo, est neglecta Latinitas, quæ, ut oves Ægonis Virgiliani, vix ossibus hæret,* *Quamvis ipse tiro sim Latini idiomatis, tamen inimicus ignorantiae alienæ, ut inimicissimus propriæ, ferre non possum talia, &c.* Adde, quod secundum Engel. *Prol. I. Can. t. 3. num. 23.* error Latinitatis in documento pariat præsumptionem felsificationis.

LVI. Sed illi etiam, qui in foris litigant, utiliter interdum disputant de verbis, utpote, cum aut in testamento, aut in documento antiquo, quod diploma vocant, ex archivio forsan aut aliunde producto, voces ambiguæ vel vetustate depravatae reperiuntur. In diplomatibus potissimum examinandis summa circumspectione opus est. Accidit enim sèpe, ut non solum in principum, sed & privatorum causis, e.g. cum de antiqua feudi investitura agitur, ejusmodi proferantur, quæ licet supposita & falsa, ea tamen arte ac subtilitate sunt confecta, ut, nisi summa cura exutiantur, facile incautos decipient & genuinorum speciem præse ferant. Igitur follicite hic non solum in verba & literas, sed in literarum etiam ductus & figuris, in interpunctiones adeo iniquiendum est. Iam tum enim apud veteres Romanos ad ulterata diplomata & chartas fuisse interdum prolatas ex L. 27. §. 2. & L. 33. ad L. Corn. de Falsis, item Paulo Recept. sent. l. i. tit. 25. §. 9. apparet. Quare Imperator in L. 20. C. de Fide instrum. jubet, collationes literarum omnemque curam adhibere ad veritatem aut falsitatem eorum detegendam. Ceterum leges, secundum quas hujusmodi collationes sive examina verborum in diplomatibus debeant institui, mirifice exponit Mabillonius, vir eruditissimus, monachus Benedictinus, qui maximam sibi in documentis antiquis cognoscendis notitiam peregrinationibus & illustrissimarum per orbem bibliothecarum atque archivorum visitationibus acquisivit, in suis de Re diplomatica commentariis. Quo libro nihil elegantius, nihil hoc in genere perfectius fieri potuisse, existimamus. Repertus quidem fuit anno 1703. Parisii Barabolomæus Germon, Jesuita, qui edito de eodem argumento libro omnia Mabillonii fundamenta subytere

tere & rationes explodere novasque regulas præscribere conatus est. Sed præterquam, quod scriptum ejus pari plausu ab eruditis exceptum non fuerit, proxime secuto anno *Fontaninus* Romæ publice id refutavit, ac *Mabillonum* defendit.

LVII. Sæpe etiam, quando testamenta aperiuntur & proferuntur, de verbis litigandum est. Nam etsi de jure nostro testamentum notis incognitis scriptum neque pro testamento habeatur *L. 6. §. 2. de B. P.* & *Iustinianus in Nov. 107.* damnnet in illis obscuritatem, quæ divinantibus magis, quam interpretantibus egeat, id quod a Maximiliano etiam in *Ordinatione Notariorum*, §. Item die Norarien sellen confirmatur; accidit tamen sæpe, ut verbum ambigue vel obscure positum nisi evolvatur & disputationibus excutiatur, non possit voluntas testatoris satis perspici. Exempla hujusmodi disputationum habemus in *L. 47. pr. de Hered. instit. in tit. item de Legatis & Substitutionibus*. Huc pertinet causus ab Ordine Iuridico Vitembergensi anno 1703. decisus. Fecerat quis testamentum, in quo Iesum Christum, Salvatorem suum heredem instituerat. Maxima oriebantur lites, quid per verba hæc intellexisset. Ecclesia, in qua defunctus frequenter versatus erat, & erga quam majorem haberat affectionem, hereditatem ejus petebat ex *L. 26. pr. & §. 2. C. de S. S. Ecclesiis*. Sed aliud illius loci templum ad Salvatorem dictum, eam sibi potius deberi, affirmabat ex §. 1. illius *L.* ubi, instituto Angelo vel martyre, Ecclesia inde dicta instituta putatur. Sed cum ab Angelorum & martyrum nominibus ad Dei nomen justa illatio non sit, ac testator magis ad parochialem suam, quam aliam Ecclesiam respexisse videatur, pro priore pronunciatum fuit.

LVIII.

LIX. Sed possunt vanæ etiam de verbis lites esse, quæ disputatores fori sive advocatos exerceant. Olim certe, quando jus formularium adhuc in rep. Romana vigebat, ejus fora hujusmodi verbosis contentionibus personabant. Si quis ad possessionem retinendam, vel recuperandam, ad exhibendum, sive alia quacunque actione experiretur, præscriptis verbis ac formulis eum uti oportebat, a quibus si vel in unica voce aberrasset, omne jus agendi perdebat. Vide, quantam hic rigor occasionem inutiliter de verbis controvèrtebant dederit. Sed alius etiam tum temporis modus de verbis contendendi erat, neque hodie amplius usitatus, de quo Suetonius de *Illustribus Grammaticis*: *Marcus*, inquit, *Pomponius Marcellus*, sermonis *Latini* exactior molestissimus, in advocatione quadam solœcifimus ab adversario factum usque adeo arguere perseveravit; quoad *Cassius Severus*, interpellatis judicibus, dilationem petit, ut litigator suus alium Grammaticum adhiberet, quando non putat is, cum adversario de jure sibi, sed de solœcismo controversiam futuram. Hodie illi ex fori litigatoriibus possunt logomachis his annumerari, qui ob nuda verba instituunt processus. Quod hi potissimum faciunt, qui ob quamcunque levissimam causam injuriarum agunt, de quibus cum a DD. copiose agatur, nihil novi, quod de iis dici possit, nobis est rectum.

LIX. Adeo autem logomachiæ hæc, sive inutiles super verba lites frequentes sunt, ut in comitia etiam Imperii & aulas principum penetrarint. Sæpe enim tantæ oriuntur de titulis, qui nihil nisi honoris verba sunt, altercationes, ut vel tempus gravioribus negotiis destinatum iis transmittatur, vel animi, quorum conspiratio ad res bene agendas est necessaria, abs se

G

invi-

invicem alienentur, vel plane omnis tractatio interrum-  
patur. Sic cum anno 1561. de reconcilianda per Euro-  
pam Christiana religione serio cogitaretur, atque ipse  
Pontifex suum pacis studium ostensurus literis ad Elec-  
tores & principes datis ad concordiam eos invitaret,  
atque conditiones proponeret; leves ab initio statim de  
titulis dissensiones omnem reducendæ unionis spem  
ademerunt. Cum enim literarum Pontificiarum  
omnium hæc esset inscriptio: *Dilecto filio, nobili viro,*  
*Electori, Duci aut Comiti; cunctas minime resignatas*  
*in hospitium legatorum remissas fuisse, Thuanus l. 28.*  
refert. Novissimum hujusmodi contentionis exem-  
plum exhibuerunt Electorum Principumque legati,  
sub initio horum, quæ adhuc consistunt, comitiorum.  
Electorum legati Excellentiae titulum non solum a re-  
liquorum Principum, sed ab ipsis etiam Imperatoris  
legatis sibi deposcebant. Imperator quidem omnino  
eum denegavit, sed Principes hac lege illum tribuere  
voluerunt, ut sui etiam legati Excellentiae compellati-  
one honorarentur. Quod cum detrectarent legati Elec-  
torum, diu super hac re disputatum fuit, & publica  
negotia insignem moram sunt passa. De cuius con-  
troversiæ exitu vide *Thucelium in Electis I. publici cu-*  
*riosis cap. VII.*

LX. Hæc tenus eos consideravimus logomachos,  
qui re vera quidem dissentunt, sed qui aut, relictis  
controversiis suis, convitiis in se invicem debacchan-  
turi, aut quorum altercationes in rebus nullius mo-  
menti ac vanis subtilitatibus, aut in nudis verbis occu-  
pantur. Restat jam postrema, sed maxima eorum  
classis, quorum sententiæ ac opiniones, tametsi invi-  
cem convenient, ob diversum tamen, quo explicantur,  
modum

modum; discrepantes videntur, atque proinde inanibus litigiis occasionem præbent; seu, ut breviter dicam, qui revera consentiunt ac in verbis dissentient. Cujusmodi logomachi in L. 2. ff. i. C. de Conſtit. pec. non sensum, sed vana nominum vocabula amplecti dicuntur. Immane est, quam late se hæc pestis extendat, &, quam occulta contagione per orbem eruditum serpat, ut incautis etiam sæpe atque ignaris obrepatur. Cui pernicioſo non minus, quam vulgato morbo ut facilius medeamur, excutienda sunt illius cauſæ, &, quam sæpe sub formosa ſpecie lateat, ostendendum. Quod comodiū fieri poſſe non puto, quam, ſi verbosas diſputationes, quas hæc classis comprehendit, in tres iterum ordines diſpescamus. Quorum primus eas continebit logomachias, quæ quod agitantur, uterque diſputator in cauſa eſt; alter iſtas, quibus occaſionem dedit, qui primus ſententiam ſuam non clare ſatis proponuit; tertius denique has, quæ ab altero, verba ejus, cum quo diſputat, non recte percipiente moventur.

LXI. Diſpiciamus primum de his logomachiis, in quibus utriusque diſputatori culpa eſt, quod agitantur. Accidit vero id tunc potiſſimum, quando ambo, qui invicem diſputant, ſuam ſententiam bene non explicant, atque, ut loquuntur vulgo, ſtatim con troverſiæ non recte ponunt, ſed verborum vel ambiguum, vel obſcurorum cortici ſic tenaciter inhærent, ut caligini huic, quam ipſi excitant, impliciti ſe mutuo non intelligant, atque non videant, nihil eſſe revera, quod in con troverſiam ſit deductum. Accidit id potiſſimum in publicis illis certaminibus, quæ in academiis recepta videmus, de quibus eleganter Werenfelsius c. 6. ff. 3: Id accidit, inquit, ſæpe in conſictiibus diſputationum, ubi tur

pe videtur, adversario cedere. Respondenti defendenda est thesis. At est falsa. Defendenda tamen. At non habet, quod respondeat. Hoc nihil ad rem. Respondendum tamen. At nescit, quid loquatur. Quid rum? Loquendum nibilominus, donec Opponens sileat. Si mens ipsum deserit, sentiat tamen adversarius, linguam nondum ipsum deservisse. Similiter licet Opponens satisfactum sibi putet, non ideo statim acquiescendum. Turpe est, primo istu prosterni. Turpe, tam cito terga vertere. Vrgendum est argumentum. In standum. Sed jam solutum est. Nihil refert. Loquendum, et si nihil, quod dicas, babeas. Ut doctus videaris, necesse est, ut aliquid dicas.

LXII. Sed & extra hos conflictus ICti s<sup>e</sup>pē disputationibus nihil revera significantibus implicantur. Notissima est controversia ab iis qui *Vlpianum* atque *Iustinianum* defendunt, jus naturae bestiis etiam commune esse asserentes, agitata cum his, qui illud solis hominibus competere dicunt. In qua lite nulla subest revera, nisi in verbis, dissensio. Nam ambo, belluas quidem rationis expertes esse, concedunt, illi autem, qui, jus atque obligationem in eos cadere posse, dicunt, conceptum ab aliorum opinionibus diversum de obligatione sibi faciunt, ut per eam intelligent necessitatem agendi ad voluntatem alterius, quæ nullum ramen agentis intellectum aut libertatem requirat. Qui contra sentiunt, hi obligationem & jus secundum communes regulas interpretantur, ut, nisi subjectum liberum & rationale, illorum capax esse nequeat. Ecce ergo logomachiam. Vterque fatetur, animalia reliqua præter hominem destitui quidem ratione, habere tamen aliquas cum illo communes actiones, ad quas communi naturæ instinctu compellantur. Hunc vero instinctum alter jus naturæ appellat, alter non.

LXIII.

LXIII. Semper tamen dubitavi, quæ fuerit vera *Vlpiani Iustinianique* hac de re sententia. Vterque *jus* initio librorum suorum definit *artem boni & æqui*. Necesse ergo est ut species juris, quas postmodum recensent, huic generali definitioni possint applicari. At quomodo poterit *jus naturæ*? si illud bestiis ratione, intellectu & libertate agendi destitutis sit commune, quæ proinde neque artem, neque bonum & æquum comprehendunt. Videntur ergo & *Vlpianus* & *Iustianus* oblii fuisse eorum, quæ paulo ante vix aliquot lineis dixerant. Quam oscitantiam ne in illis admittamus, sic potius tenendum est. Sententia, quæ hodie, post receptam in scholas *Aristotelis philosophiam & Cartesii* maxime de machinis sententiam, adeo ridicula & absurdâ videtur, quod bestiæ etiam aliquam rationis particulam possideant; olim certe & inter philosophos, & inter Iudeos, & primos adeo Christianos, non paucos asseclas inveniebat. Philosophorum quidem catalogum, qui belluarum animas particulam divinam nominarent, satis longum *Vossius de Origine & Progressu idolatriæ l. 3. c. 41.* necit; inter quos plaro & pythagoras recenseri debent, qui bestias fere in sublimitatem humanae sortis evexerunt. Atque horum sectatur *Vlpianus* fuit, hanc etiam eorum opinionem sine dubio amplexus. Inter Iudeos philonem nominabimus, qui de hoc etiam arguento librum scripsit, & Maimonidem, qui expresse: *Omnia, inquit, pariter animantia voluntate sua moventur.* Sed de primis Christianis res dubia poterat videri. At duos ex illis excitabimus magni nominis. *Laetantius l. 3. c. 10.* Rationis quoque signa, ait, in mutis deprehenduntur. Nam quando utilia sibi appetunt, pericula vitant, latibula sibi par aut in plures exitus dispa-

*disparentia, profecto aliquid intelligunt. Potest aliquis negare, illis inesse rationem, quum hominem ipsum s<sup>e</sup>pe deludant? Arnobius adversus Gentes l. 2. Sed rationales, ait, nos sumus, & intelligentia vincimus genus omne mutorum. Velle r<sup>m</sup> am scire, quanam sit h<sup>a</sup>c ratio, per quam sumus poiores animalium generibus cunctis. Quia nobis domicilia fecimus, quibus possimus biemalia frigora, & astatis flagrantias evitare? Quid? animantia cetera hujus rei prudenter non habent? Verosimile itaque est, Iustinianum quoque hanc de intellectu & ratione brutorum opinionem probasse, & propterea jus naturae cum illis communicasse.*

LXIV. Quantas vox *majestatis* non bene explicata inter eruditos turbas dederit, nemo est, qui ignoret. Summo fervore disputatum fuit; utrum *majestas immediate*, an *immediate a Deo sit*; item: an illa etiam Augustae & Regi Romanorum, vivo Imperatore, sit tribuenda. Ad primam quæstionem quod attinet, poterat illa ab initio gravissima & maximi momenti videri. Sed nihil eam in recessu habere, apparebit, si quæstionem, omissis vocibus *majestatis & immediate*, tanquam ampiguis & obscuris, explicemus. Hanc ergo faciemus sententiam nostram. Institutio potestatis & imperii in societatibus civilibus solum Deum auctorem habet; quippe qui & in lege naturali & promulgata voluit, ut homines in societas coirent. Harum autem societatum eam voluit esse naturam, ut non possent sine regimine aut potestate politica consistere. Hujus igitur potestatis prima introductio soli Deo debetur. Sed diversæ formæ, quibus hæc potestas in respuplicas fuit introducta, variæ leges, quibus ea est circumscripta, & denique electio personarum, quibus illa conferatur, hæc

hæc a populo & civibus dependet; nisi, quod divina providentia in illis pariter, ut in reliquis actionibus humanis, concurrat. En tibi periculosa hanc doctrinam ita resolutam, ut de ejus veritate nemini dubium superficit. Quid ergo opus erat, ambiguis *majestatis* & *immediare* vocabulis obscuram eam & controversam reddere?

LXV. De altera illa lite, an scilicet Rex Romanorum, vivo Augusto, majestatem habeat; magis adhuc clarum est, nihil eam, nisi logomachiam continere. Id enim concedunt omnes, summam esse hujus Regis, si ab Imperatoris fastigio recedas, in Imperio nostro dignitatem ac præ aliis Ordinibus præcedentiam; certam ei competere successionis spem; nullam autem in publicis rebus potestatem, nisi quam Imperator ipse concedat. Hanc igitur Regis Romanorum auctoritatem sive majestatem appelles, sive non; impune utrumque facies. Sacrilegum enim non est, majestatem hominibus minore adhuc auctoritate præditis tribuere, exemplo *Valerii Maximi*, qui l. 7. c. 7. n. 5. patriam potestatem majestatem vocat.

LXVI. Accidit etiam tunc, ut omnes inter disputantes dissensio in solis verbis consistat, quando potius de methodo atque definitionibus, quam de ipsa re invicem concertant. Admodum vulgaris hic morbus est inter illos, qui philosophiam Aristotelis atque scholasticas subtilitates & distinctiones suas in ius nostrum inferre laborant. Quod disputandi genus eo est putidius, quo magis ab illo majorum nostrorum, Ictorum veterum, & ipsius Iustiniani exempla abhorrent. Nam cum illi in definitionibus struendis ad hoc potius respiciant, ut perspicuant de re-

rebus conceptum lectoribus suis afferant, perraro leges istas philosophicas, de genere, de differentia specifica recte ponenda attendunt. Ordinem quoque in libris suis non eum semper observant, quem magistri illi praescribunt, sed hunc potius, quem faciliorem & dissentibus commodiorem existimant. Vellem igitur, ut & nostri tædiosas has, quibus publica maxime subfelia perstrepunt, de methodo, definitionibus &c. disputationes aliis relinquerent.

LXVII. Persimiles his sunt illi causarum patroni, qui, dum id se agere simulant, ut ordo & in cognoscendo & in judicando observetur, id agunt, quod maxime ere sua est, i. e. ut judicia differantur, nunquam finiantur, atque interdum ne quidem incipientur. Illos puto advocatos, qui, omissa ipsa causa in judicium deducta, circa accidentalia processus harent, & exceptionibus suis dilatoriis, inepti libelli, plus petitionis &c. & tempus, & opes clientum consumunt. De quibus *Vberti* dictum vulgo circum fertur; non esse bonum advocationum, qui patiatur, intra 10. annos litem contestari. Et quamvis apud nos justissimi principes de medela huic malo facienda fuerint solliciti, & re vera etiam non parum hanc litigatorum temeritatem cercuerint, instituto jurejurando calumniae generali, item, imposito advocates ante receptionem suam gravissimo jurejurando, nec non certo tempore moratoriis illis exceptionibus præfinito; id tamen impedire non potuerunt, ne effugia quererent homines improbi & superfluis sape disputationibus atque exceptionibus judicem partesque litigantes frustrarentur, digni profecto, qui lapidinam potius, quam causidicinam (quæ vox in L. 188. C. Tb. de decur. occurrit) exercenter.

LXIX.

LXIX. Est aliud etiam peculiare atque in solis fori disputationibus usitatum logomachiæ genus, quod illi inter se exercent advocati, qui, prodita clientum suorum causa, cum eorum adversariis collidunt, atque, tametsi his verbis contradicere videantur, adeo tamen jejunis & fere nullis argumentis hoc faciunt, ut potius partem adversam adjuvent, & victoriam volentes alteri concedant. Quod crimen alii collusionem, Icti prævaricationem vocant. Atque primis quidem temporibus id capitale erat, teste Lege 12. tabb. quæ: *Paronus*, inquit, si clienti fraudem fecerit, sacer esto. Et *Virgilius l. 6. Aeneid.* eos, dum infernum describit, in una cum parricidis classe collocat;

*Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,  
Pulsatusve parens, & fraus innexa clienti.*

Vide etiam *Gellium V. 13.* Atque adhuc hodie capitalem illam pœnam in Bohemia prævaricatoribus dictari, *Ius Bobemicum c. 8. 27.* restatur. Iure civili nostro prævaricatores infamia puniuntur *L. 4. de Prævaric.* jure Carolino fustigantur & relegantur *Ord. Carol. art. 15.* jure Saxonico mulcta extraordinaria afficiuntur. *Carpz. dec. 91.* Sed hæ collusiones tametsi sæpius accidunt, raro tamen puniuntur. Ceterum illustre prævaricationis in disputationibus exemplum ex historia Gallica observavi. Henr. IV, cum transitum a Protestantium cœtu ad Pontificios meditaretur, ut honestius hoc faceret, inter utriusque partis Theologos institui disputationem volebat, eorum, qui vinterent, sententiam amplexurus. Sed Rotanus atque Beraltius, qui ex Reformatis huic colloquio destinabantur, subornati prævaricabantur, &, cum Perronio Pontificiorum legato contradicere deberent, tanquam ejus argumentis con-

H.

victi

viči, leviter respondebant & tempus fero ornando, & laudando adversario consumebant. *Aubigne in Historia universalis.*

LXIX. Sed ad illas accedamus verboſas disputationes, quæ originem scriptoribus ac doctoribus, sententiam suam non bene & perspicue proponentibus debent. Videmus quam Plurimos, quos, ut in §. 2. & 6. dixi, adeo delectat tenebricosum scribendi genus, ut vix ipsi, quid velint, scient. Igitur quid potest aliud ex eorum libris, quam rixæ hujusmodi oriri, quæ, si ambiguam & obscuram verborum significationem demas, facile sopientur? Debent enim hi, qui scribunt, stylo claro atque perspicuo uti, maxime, cum opinio-nes vel novas, vel disputationi tamen facile obnoxias proponunt. Cavendum est, ne breviores sint justo, ne quid necessarium omittant, ne verba adhibeant in diversa, quam vulgo recepta sunt, significatione. Quod qui negligunt, iis si controversia moveatur, decisio ejus & interpretatio contra eum, qui clarius loqui debuisset, facienda est. *L. 39. de Partis.*

LXX. Videas ſæpe logomachiam oriri ex omissione ejus, quod addere necessum erat. Sic in Gallia, Belgio, Frisia & aliquibus etiam Germaniae provinciis reperti sunt, qui, cum leges Romanas cum patriæ ſue legibus moribusque pugnare viderent, illas omnino abrogatas, aut non receptas esse, scripferunt. Debebant hoc ad illam, in qua vixerunt, provinciam restringere; & tum fortaffe contradictores non inventiſſent.

LXXI. Alii voces non in ea, qua communiter receptæ ſunt, notione ponunt, sed ipſi ſibi novam aliquam & peculiarem effingunt, atque tamen illam bene  
non

non explicant, ut lector neutriquam de ipsorum intentione certior esse possit. Huc pertinet controversia olim in Gallia agitate, utrum ICti inter eruditos sint referendi. Orta illa est *Sallone & Menagio* auctoriibus. Nam cum ille in *Ephemeridibus suis*, quas *Journaus defenscavans* appellabat, omnes, quotquot de rebus ad bonas literas spectantibus ederentur, scriptores recenseret; recensebat etiam *Menagii Amicitates Iuris*, tunc primum prodeuntes. Sed dubitasse se initio, dicebat, locumne hic liber, tanquam juridicus, in scriptis suis mereretur; sed animadvertisse se tandem, doctas magis in illo, quam juridicas quæstiones contineri. Non tulit hunc ordinis sui contemptum *Menagius*, sed scripto pro more satis aculeato ultus est ICtos atque iis inter eruditos locum vindicavit. Quæ pugna parum absuit, quin in Belgio nuper recrudesceret, cum *Auberus* in *Dialogo Digressionibus annexo* vehementer etiam, sed stylo tamen modestiore, de Collectoribus ejusmodi *Ephemeridum* quereretur, quod se in dictatores reipublicæ literariae erigerent, atque jus civitatis medicis potius, philosophastris & historiuncularum compilatoribus, quam ICtis, donarent. Italos quoque aliquos in odiosa hac de ICtis persvassione fuisse, ex *Nicio Erythraeo* discimus, qui inter Illustres suos doctrinæ vel ingenii laude viros Petrum La-Sena refert, quem ita describit: *Hic ad mitiores Musas a natura propensus a Grammaticorum scholis, cum vix ex ephæbris excessisset, compulsus est a parentibus in horridas ICtorum, barbare inquinareque loquentium, regiones.* Sed non parum saepie fiebat, ut a naturali sua inclinatione, ab illa studiorum horriditate abruptus ad humanissimas & elegantissimas litteras, tanquam in hortum aliquem abstraberetur. Pari audacia *Laureatus*

*nus in Vita Marini* studium legum scopulum fatalem celeberrimorum ingeniorum; item oceanum, qui subtilissima ingenia & felicissimos spiritus absorpscerit, appellat. Sed jam tum supra §. 53. monuimus, Cirticos fere omnes se solum eruditos venditare, reliquos autem ICTos rabulas & legulejos appellare.

LXXII. Sed lis hæc quod agitur, hi homunciones solum in causa sunt. Debebant enim ipsi melius explicare, quid per eruditum aut literarum intelligenterent, cum de his vocibus conceptum plane ab aliis diversum habere videantur. Quodsi eum tantummodo eruditum esse sibi imaginantur, qui in explicandis subtilissimis, at in vita civili inutilibus quæstionibus, in verborum syllabarumque aucupio, atque in antiquitatibus nullius momenti & levissimis historiarum circumstantiis inquirendis versantur, tum vero tantum abest, ut ICTi eruditii esse velint, ut titulum etiam illum sibi injurium sint habituri. At si per eruditionem, ut par est, solidam liberalium artium scienciam earumque in vita civili usum & applicationem intelligamus, tum vero Græculi isti Iurisperitos hinc non excludent.

LXXIII. Illi etiam obscurius loquendo logomachias excitant, qui paradoxa & sententias primo adspicere absurdas defendunt. Cum enim inter eruditos celebres semper habiti fuerint, qui novæ atque inaudite opinionis primi auctores vocarentur; multi, qui scripserunt, excogitarunt aliquid, quod hoc usque a nemine dictum, vel cum communi & recepta sententia, vel cum recta etiam ratione pugnari videretur, atque ideo majorem apud omnes admirationem moveret. Sed plaraque harum opinionem si recte executiantur, in sophismate aliquo, aut ambiguo vel disverfe

verse accepto vocabula fundantur. Quæ si tollas, nihil supererit novum etque insitatum. Inter antiquos, antequam capitale esse inciperet, Aristoteli contradicere, soli philosophus erant, qui sibi hoc disputandi genere placerent. Vnde Cicero: *Nihil, ait, iam absurde dici posset, quod non dicatur ab aliquo philosophorum.* Stilpo Megarensis apud Diogenem Laerrium, hominem esse; aliis apud plutarchum, motum dari, negabant. Zeno, nihil esse in mundo, asserebat. Seneca ep. 88. Silenus, summum esse bonum, dicebat, non nasci; proximum quam citissime mori Laetant. l.3. c. 18. Sed hi omnes, si rem bene excutias, absurdius loquebantur, quam sentiebant. Attamen & inter ICtos reperti sunt, qui philosophos hac in parte imitarentur. Inceperunt enim & illi gloriolam in eo querere, ut in receptis & communibus opinionibus errores investigarent, atque iis, quæ huc usque ab omnibus credita fuerant, contradicerent. Sunt aliqui non incelebres, quorum libri in singulis paginis hos tibi flosculos exhibebunt: *Error vulgaris Doctorum; ballucinantur hic pragmarii omnes; nescio, qua oscitania cuncti Doctores hoc afferant, &c.* Sed illi tam inter reliquos sunt ridiculosissimi, qui, dum dissertationes juridicas stylo tenui & argumento vulgari scribunt, speciosos & paradoxos titulos præfigunt, quibus Iustinianum ipsum & ICtos omnes provocare videntur. Quos si recte inspicias, vel in vulgari quadam exceptione a regula, vel in ambiguo & non bene explicato verbo funderi deprehendes. Notæ sunt dissertationes illæ *de Dolo licto, de Præsumptione malitia, de Legitima viventis, de Vsu inutilium in jure &c.*

LXXIV. Restat ultimus eorum ordo, qui aliis, quorum sententiam non recte percipiunt, temere con-

tradicunt, atque sic logomachias suscitant. Ignorationem elenchi vocant, qui hoc vitium reprehendunt. In quod illi potissimum incident, qui desultoria quadam levitate in legendis aliorum scriptis versantur, atque, inspecta vix una alterave pagina, mox judicium ferunt, & doctrinam, antequam integrum ejus explicationem & cum reliquis connexionem viderunt, & primo aspectu condemnant. Multi autores innocentissimi hac ratione lectorum suorum negligentiam indigna haereseos, atheismi, & magiae accusatione luerunt. Sed in his vindicandis alii laborent. Nos potius ad jus nostrum ejusque sacerdotes convertemur. Videas & illos saepenumero incidere in disputationes, quae ab adversariis, integrum eorum sententiam non recte percipientibus, moventur.

LXXV. Illustræ sunt controversæ, quas ex Theologis quidam præpostero zelo induiti, & inter hos fere princeps, Amesius in Casibus Conscientiæ Ictis moverunt. Hi etenim, quando videbant, in usucacione aut præscriptione dominium rei alienæ per longi temporis possessionem ab alio interverti; in contrafactu chirographario aliquem ex sola confessione ad pecuniam, quam nunquam acceperat, restituendam obligari; in mutuo usuras contra expressam prohibitionem divinam approbari, in furto aliisque levioribus delictis ultimum supplicium dictari; in actione denique injuriarum privatis viam monstrari, qua ultionem perseguuntur; impium hoc & indignum homine Christiano esse, vociferabantur. At boni isti nunquam recte in spiciebant juris nostri connexionem. Non videbant limitationes & exceptiones, quibus hæc doctrinæ circumscribuntur. Non animadverrebant primum illud prin-

principium, quo tanquam generali fundamento, omnes leges nostræ subnituntur; salus nempe & securitas reipublicæ, ad quam conservandam privati iacturam bonorum suorum non debent recusare. Non respiciebant ad maximam differentiam, quæ inter officium boni civis, & debitum veri Christiani intercedit. Nesciebant, in puniendis delictis non semper criminis gravitatem, sed malitiam hominum, correctionem & securitatem aliorum respici. Ignorabant denique, quantum salutis communis intersit, ne cives circa propria etiam bona & negotia negligentius versarentur. Ea enim si perpendissent, si credidissent hæc principia fontes esse, ex quibus omnia illa jura derivarentur, non adeo temere ICtos impietatis accusassent. Sed jam dudum reperti sunt inter ipsos adeo Theologos causæ nostræ propugnatores, ut adeo labore hæc ulterius explicandi facile nunc queam supersedere.

LXXVI. Nulla fere fuit inter ICtos, elapsis proximis 40. annis, celebrior controversia, quam, quæ de jure in re diversisque ejus speciebus est agitata. Cuius initium ut altius repetamus, sciendum erit, primis restitutæ Iurisprudentiæ temporibus hanc doctrinam de juribus in re fuisse incertissimam. Quippe cum in legibus Romanis nullus eorum numerus determinatus deprehenderetur, omnes ferre, quotquot post Accursium vixerunt, DD. hoc suæ dispositioni relictum existimantes, singuli novam hac de re excogitarunt opinionem. Innumeræ hinc ortæ sunt dissensiones. Quibus ut interveniret *Henr. Habnius*, quod nemo ante illum fecerat, peculiari libello præcipuas ex pugnantibus istis sententiis accusatius consideravit, & suam tandem de quinque speciebus, dominio, possessione, servitute, pignore & jure here-

hereditario egregie stabilivit. Adeo dilucide tractavit  
hoc argumentum, adeo solide cunctas evertit dubitan-  
di rationes, ut pauci tunc essent juris interpretes, qui  
opinionem ejus non amplectentur. Sed mox & illa  
iterum in dubium vocari cedit a quibusdam, qui pri-  
mam incertitudinem reducere, quam in auctoritate  
Hahnii acquiescere malebant. Neque tamen conser-  
tiebant invicem Hahnii contradictores. Singuli singu-  
las iterum excogitabant opiniones. Alii, unum tantum  
esse jus in re, dominium nempe, asserebant; alii cum  
*Baldo quadruplex* id faciebant, dominium, jus heredi-  
tatis, pignus & servitutem; alii quidem probabant  
quinque illas ab Hahnio excogitatas species, sed sextam  
etiam, nempe jus dotis, addebat. Ast de his liti-  
bus olim judicium tulit *Magnificus Praeses in dissert.*  
*de Differentiis juris personarum & rerum*, quod *Mullerus*  
*ad Struvium* etiam excitat & probare videtur: *Vt in-*  
*genue dicam, videtur lis illa confederatus exacta magis esse*  
*de verbis, quam de re ipsa.* Et profecto tantum de  
verbis est, cum vocabula dominii possessionis &c. in  
peculiari saltem & diversa significatione accipientur.  
Qui nullum aliud, praeter dominium, jus in re admit-  
tunt, hi, si rem bene exutias, tantum abest, ut Hahnio  
contradicant, ut potius ipsi nobiscum sentire, & sententi-  
am nostram saltem aliis atque brevioribus verbis propo-  
nere videantur. Fatentur illi, omnes istas ab Hahnio  
enarratas actiones, rei vindicationem, hereditatis pe-  
titionem, actionem confessoriā & negatoriā, hypo-  
thecariā, &c. esse reales. At illarum fontem solum  
dominium esse dicunt, cum servitus, pignus atque jus  
hereditarum ipsa sint in dominio & actionibus realibus  
petantur. Ego quidem neminem fuisse credo, qui  
unquam

unquam negaverit, dominium interdum tam late in jure nostro accipi, ut jus etiam hereditarium, possessionem, servitutem atque pignus complectatur; uti hoc ipse fatetur Hahnus ejusque defensores. Quin etiam, si L. 49. & 91. de V. S. L. 30. f. i. ad SC. Trebell. recte inspicias, obligationes quoque & actiones personales ex dominio derivari posse, videbis. Quodsi ergo in illo latiori sensu dominum accipias, tum vero concedimus, illud esse ipsum jus in re, omnesque ex eo actiones reales proficisci. Sed tunc in priorem illam incertitudinem relabimur, atque unicum saltem & communem illum actionum realium fontem habemus, quem sive cum Hahnii adversariis dominium aliquod generalius, sive ad faciliorem rei intellectum ex c. 40. de Prab. in 6to jus in re appelles, nostra non interest. Interim nova tamen iterum subdivisione opus erit, ut species actionum realium a se invicem distingvantur. Id quod ipsi faciunt dominii propugnatores, prorsus eodem nobiscum modo, si a verbis recedas. Dicunt, generalius illud dominium aut universale esse (a nobis jus hereditarium vocatum) aut singulare, & hoc iterum vel rerum corporalium, (quod nos secundum L. 4. pr. Comm. div. & L. 13. f. i. C. de Iudiciis dominium in specie sic dicunt appellamus) ex quo rei vindicatio descendat; vel rerum incorporalium, scilicet dominium pignoris, & servitutis. Non video itaque, quid sit potissimum, in quo dissentiant a nobis Hahnii contradictores. Ast adjunt: secundum leges nostras ipsa hereditas, ipsa servitus, ipsum pignus actionibus illis realibus vindicari dicuntur. Ergo fontes harum actionum non hereditas, pignus aut servitus, sed dominium hereditates, domini-

minium servitutis, dominium pignoris appellari debebant. Sed respondemus; ipsum quoque dominium vindicari posse §. 4. I. de Act. ut proinde etiam dominium dominii constituendum fuisset. Qui possessionem ex numero jurum in re eximunt, hi rationes suas in hoc potissimum fundant, quod possessio facti sit, ac proinde ne quidem jus appellari queat. Sed his jam responderunt alii; vocabulum facti non esse captandum, dari etiam jura, ad quae constituenda factum sit necessarium: uti traditio ad translationem dominii requiratur; denique ipsam possessionem jus in L. 44. pr. de A.P. &c. appellari. Reliquas rationes, quas hic enarrare non possumus, excussas in d. diff. videbis. Denique quod ad illos attinet, qui dotem inter jura in re referunt, horum sententiam ideo rejicimus, quod non videmus, cur jus dotis, quatenus in re corporali est constitutum, commodo non possit dominium vocari. Quatenus enim rem incorporalem afficit, ad obligationes potius & iusta ad rem pertinebit.

LXXVII. Ceterum huc pertinent illi, qui sententias aliorum ideo potissimum oppugnant, quod illas verbis sibi odiosis explicari videant. Incredibile est, quantopere nonnulli a certis vocabulis abhorreant, cum tamen ea, quae illis denotantur, lubenter admittant. Facilis ergo cum ipsis disputatio fuerit, modo hoc illorum pervicaciæ tribuatur, ut demis, quæ ferre nequeunt, vocabulis, res ipsa alio nomine occultetur. Principum aliquando hæc ers est, ut cives suos ejusmodi indulgentia fallant & ad voluntatem suam perducant. De Belgis notum est idemque verissimum, quod CAROLVS V. asseruit; nullos esse populos, qui servi-

servitutis nomen magis execrarentur, ipsam servitutem patientius ferrent. Adhuc hodie, dummodo libertatis nomen iis relinquatur, gravissima onera & maximas pecunias magistratibus suis depositis libenter conferunt, tametsi ipsi fateantur, se durissimo Hispanorum jugo pressos tantum non pendisse. Cum reip. Romanæ forma in monarchiam transmutaretur, non audebant ab initio Imperatore, populo libertati adsveto tributa & census imponere. Pecunias igitur, quas exigebant, mutuum, *Dion. l. 42. oblationem votorum, L. un. C. de Oblat. votorum; aurum coronarium, t. 2. C. Th. & Justin. de Auro coronario;* appellabant. Tametsi vero speciosa hæc nomina ejusmodi collationibus prætexerent, atque eas *ex amore proprio & voluntate proficiisci,* dicerent, graves tameu civium de exæctoribus eorumque rigore quærelæ ostendunt satis, nihil illis, præter nomen, liberale inesse. Egregie *Salvianus de Gubernat. Dei l. 8. Ridiculos,* inquit, *ipse nos facimus. Aurum, quod pendimus, munera vocamus. Dicimus, donum esse, quod pretium est, & quidem pretium conditionis durissimæ & miserrimæ.* Rectissime in has exactions conveniet vulgatum istud: In verbis simus faciles, dummodo conveniamus in re.

LXXVIII. Ast inter eruditos frustra expectaveris mutuam hanc indulgentiam. Pertinaciores sunt hi, quam, ut adversario etiam in appellatione rei cuiusdam cedant. Itaque plurimæ controversiæ ex solo amore aut odio vocabulorum & originem & incrementa capiunt. Huc refero illam ex jure publico quæstionem; quænam sit forma regiminis in Imperio Romano-Germanico. Primis temporibus auctores aut

pro monarchia, aut aristocracia, aut democratia, aut oligarchia pugnabant. Singuli omnes undique rationes colligebant, quibus suam quisque sententiam stabiliret. Sed cum tandem animadverterent, nullam ex illis, ad quamcunque etiam confugerent, formis ad reip. Germanicæ statum recte & sine exceptione posse applicari, tandem consenserunt fere universi, formam regiminis nostri non simplicem, sed compositam ex reliquis omnibus esse. Inter eos, qui hoc assertebant, reperiebantur aliqui, qui formam hanc monstruosam & irregularē appellarent. Sed Deus immortalis, quantas hoc nomen turbas dedit! Confitebantur omnes, Imperium nostrum adversus communes regulas societatum politicarum administrari, illud cum multis & fere immedicabilibus morbis conflictari. Sed monstrorum tamen & irregularē ejus regimen vocari, hoc nefas, hoc sacrilegum autumabant. Alii contra minus superstitionis nullum in hoc nomine crimen deprehendebant, &, dum id defenderent, strenue logomachiam exercebant. Ecce igitur, inutilem & verbosam disputationem, ex solo erga hanc appellationem odio profestam, cum res ipsa ubique probaretur.

L X X I X . Sufficient hæc ad logomachiarum juridicarum explicationem. In qua brevius versati sumus, quam argumenti dignitas & amplitudo requirere videbantur. Sed dissertationis modum jam servare oportuit. Alio fortassis tempore copiosius hæc exequemur.

COROL.



COROLLARIA  
EX  
MATERIA PRAESCRIPCTIONIS.

I.

Iuri adeundi hereditatem præscribitur 30. annis, non autem operis, nisi indictis, neque actioni pignoratitiæ , nisi debito soluto. Quo in capite sæpenumero erratur. Falluntur quoque illi, qui, cum soli per 30. annos artem exercuerunt aut opus fecerunt, ideo se præscriptio-ne se tueri posse, contendunt.

II.

In transmissione hereditatis ex jure deliberandi annus scienti cur-

I 3

rit,

rit, non ignorantii. Ex quo tamen  
non consequitur, ab ignorante he-  
reditatem transmitti non posse.

III.

Bona fides ne jure quidem Ca-  
nonico necessaria est ad actionum  
personalium præscriptionem

IV.

Bigamiæ, itemque adulterio  
duplici attentato, non Saxonico  
minus, quam civili jure præscribi-  
tur quinque annis.

V.

Accusatio, itemque inquisitio,  
in capite adulterii ad quinque tan-  
tummodo annos, eosdemque ab ul-  
timo actu judiciali computandos,  
perpetuatur.

VI.

VI.

Præscriptione perimitur obli-  
gatio non civilis tantum, sed & na-  
turalis.

VII.

Velim diligentius aliquanto at-  
tendant advocati, ut, quoties pro  
Ecclesia contra præscriptionem  
quadragenariam nituntur, toties  
moneant, eidem non tantum qua-  
driennium restitutionis in inte-  
grum adjiciendum, sed & tempus  
illud, quo vixit alienans admini-  
strator, itemque, quo Ecclesia de-  
stituta fuit administratore, aut ha-  
buit administratorem, sed vel in-  
utilem, vel nocivum, deducen-  
dum esse. Quod quidem a pleris-  
que parum animadverti, dolemus.

VIII.

### VIII.

L. 13. §. ult. C. de Iudiciis, qua  
minoribus adversus præscriptio-  
nem judicialem restitutio demum  
datur in subsidium; hucusque pro-  
pemodum vel ignorata, vel parum  
curata fuit. At publice interest,  
eam non in memoriam modo, sed  
& usum revocari.

S. D. G.



IV


01 A 6634



Vd 17



**Farbkarte #13**



B.I.G.

Q. D. B. V.

DE

# LOGOMACHII IN IVRE,



## Von Juristischen Wortstreit

PRAESIDE  
**IO. HENRICO BERGERO,**

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET ELECTORIS  
SAXONICI IN SVMMO PROVOCATIONVM IVDICIO,  
QVOD DRESDAE EST, CONSILIARIO, ET PRIMO  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI  
IVRISCONSVLTO,

SOLENNITER  
PRO SVM MIS IN IVRE HONORIBVS

D. XX. IAN. MDCCVII.

DISPV TABIT

**AVGVSTINVS LEYSERVVS,**  
VITEMBERGENSIS.

*VITEMBERGAE,*  
RECVSA IN OFFICINA HAKIANA. (9)

